ANTONII
AUGUSTINI

ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS

EPISTOLAE

LATINAE ET ITALICAE

NUNC PRIMUM EDITAE

A JOANNE ANDRESIO

PARMAE

TYPIS ALOYSII MUSSI

M. DCCC. IV.

PRAEFATIO.

Habet hoc debita viris illustribus reverentia, ut quæcumque ab eorum manibus profecta fuerint, licet juvenilia illa & levia sint, libenti gratoque animo excipiantur. Vix enim quidquam erit in eorum scriptis adeo vanum, ac futile, ex quo non pauca quædam bonæ frugis excipere valeamus. Quod præsertim de familiaribus epistolis dici merito potest, in quibus cum alia multa, tum maxime pleraque occurrent, quæ ad ipsorum vitæ historiam penitius cognoscendam, atque ad res illorum temporum majori quadam, & securiori fide illustrandas plurimum conferant. Atque id profecto animum meum perpulit, ut nonnullas Antonii Augustini epistolas nondum editas, latinas alias, alias vero italicas, in lucem emittere cogitarem. Nam si quis est, cujus scripta quælibet eruditas cunctorum hominum mentes, cum omnium gentium, tum maxime hispanorum, atque italorum, ad sui cognitionem allicere debeant; is enim vero Augustinus est, qui et inter principes non modo juris utriusque, tum ecclesiastici, tum civilis prudentum, sed & grammaticorum, criticorumque, & romanæ, hispanæque antiquitatis explanatorum amplissimum locum ob-

tinet, & in Hispania natus, altusque, in Italia longo tempore commoratus, unius ecclesiæ in Italia, duarumque in Hispania successivis temporibus antistes, utriusque gentis amorem æquo quodam modo jure sibi vendicat. Is enim Cæsar-augustæ in Hispania a nobilibus parentibus anno 1517 ortus, primum in patriæ scholis, dein Compluti, ac demum Salmanticæ humanioribus litteris, philosophicisque disciplinis, atque jure civili institutus, & in salmaticensi academia jurisprudentiæ laurea donatus, ab Hieronymo fratre majore natu ad extremum anni 1535 Bononiam missus est, ut in illustrissima illa academia, quæ insignibus & magistris & discipulis eo tempore maxime florebat, animum ab omni disciplina bene paratum uberiori doctrina excoleret. Quod cum per annum integrum, eoque amplius ibi præstitisset, voluit ad alium disciplinarum ludum probandum, aliosque præceptores audiendos Patavium sese conferre, ibidemque annum alium scholasticum, seu octo, novemve menses transigere. Quo tempore Patavii, & Antonium Perenottum condiscipulum habuit, & Joannem Fasolum magistrum audivit, cum eisque conjunctissime vixit, eaque tunc amicitiæ vincula contraxit, quæ postea neque temporum, neque locorum intervalla relaxarunt, sed imo potius frequens eruditumque litterarum commercium arctius obli-

gavit. Inde autem Bononiam reversus aliis præceptoribus audiendis animum attendit; atque anno 1539 in collegium S. Clementis ab hispanis sociis cooptatus, quinque, sexve annos ibidem est demoratus, donec a Carolo V. propositus, atque a Paulo III. Pontifice Maximo creatus judicandis litibus in romanæ rotæ tribunali XIIvir Romam sese traduxit, ubi gravissimo hoc munere summa cum dignitate functus, legatusque a Julio III. in Britanniam, & a Paulo IV aliphanus episcopus sacratus, & variis legationibus ad Ferdinandum Cæsarem, plerosque alios Germaniæ principes adhibitus, atque a Philippo II ad sicularum ecclesiarum inspectionem missus, demum ad ilerdensis ecclesiæ episcopatum evectus est, & tridentino concilio interfuit. Cumque per sexdecim annos ad ilerdensis ecclesiæ clavum sedisset, tarraconensi, quæ omnium Cathaloniæ ecclesiarum metropolis, & totius Hispaniæ celtibericæ primas celebratur, præfectus fuit. Per hæc ergo tempora, dum Bononiæ & Romæ, in Germania, in Sicilia, Tridenti, Ilerdæ, & Tarracone degeret, scriptæ sunt istæ epistolæ, quæ fortunato in meas manus inciderunt. Quæ mihi primo obtigere, italicæ nempe ad Panvinium scriptæ, Mediolani extant in Bibliotheca Ambrosiana in pretioso codice(a) clarissimorum virorum ad Onuphrium Panvi-

(a) D. 501. Par. inf.

nium epistolas continente. Quem ego cum evolverem, ubi in Augustini litteras incidi, eas, ut pote hispani hominis, & tanto doctrinæ nomine illustris, avidius legere cœpi, & mihi postea describendas curavi: vehementerque opto ut exurgat aliquis ex doctissimis illis ambrosianæ bibliothecæ præfectis, qui totum illum codicem e pulvere excitet, doctasque Sigonii, Pantagathi, ceterorumque his similium epistolas in eo contentas in lucem emittat, uti nos modo augustinianas producimus. His accedunt paucæ aliæ item italicæ ad Carolum Gualterutium, quas aliquot post annis ex bibliothecæ Alterianæ codice (a) excerpsimus. Habemus insuper latinarum litterarum volumen, quæ serius in nostras manus devenere, quibus tamen, cum longo ante italicas tempore datæ sint, priorem in hac editione locum dabimus, quæque cum non ad unum tantum, sed ad complures amicos, neque de re antiquaria solummodo, verum de rebus inter se diversis scriptæ sint, & licet non gravitate & copia doctrinæ, sed rerum tamen varietate aliis quodam modo superiores videri queant, longiorem a nobis sermonem postulare videntur.

Ac primum quidem, quibus nos grati animi significationibus viri clarissimi Cajetani Marinii sive sedulitatem, & diligentiam, sive humanitatem faci-

(a) XVII. F. II.

litatemque prosequemur, cui totum hunc codicem latinarum epistolarum acceptum referre debemus! Prætergrediebatur ille forte ante salsamentarii tabernam, cum oculos in chartas farciminibus involvendis destinatas conjiciens Augustini nomen, manumque agnovit, codicemque salsamentis omnibus pretiosiorem ab iniqua salarii servitute redemit, atque Em. Xaverio Zeladæ, utpote hispano homini & cultioris litteraturæ amantissimo ad splendidius locupletissimæ suæ bibliothecæ ornamentum donavit. En quibus ille verbis munus hocce suum comitatus est. *Avendo io fortunatamente salvata da una bottega di salumi, nella quale erano condannate a perire cento sei lettere d'Antonio Agostino a' suoi amici, e di questi a lui, non parmi di dovere poter essere della nuova vita lor data contento, se non le pongo eziandio nella luce della splendida biblioteca di V. E. Imperocchè io non credo di poterle per altro modo meglio ristorare della gravissima ingiuria sofferta, nè di potere ad esse trovare più degno, e più giocondo e più nobile albergo. Avranno quivi compagni per copia infiniti, per rarità singolari, per bellezza pregiatissimi, tutti i vostri letterarj tesori, che tanto commendano il genio, e la magnificenza del Signor loro. Così l'Agostini ornamento grandissimo della vostra nazione viene finalmente a ricoverarsi in casa d'uno Spagnuolo d'altissi-*

ma dignità, e di maggiore animo godendo di trovare presso di lui il ricovero di tutte le buone lettere. A me è bastante felicità l'essere come mezzano tra l'Agostini e l'E. V. ed il lasciarvi un monumento durevole della mia divozione e riverenza. Settantadue di queste lettere sono di propria mano dell'Agostini e stanno tutte ne'primi tre quinterni.... Cumque plura de hisce epistolis dixisset, ad aliasexquirendas eminentissimum Mecænatem hortatus est. Atque hæc quidem ad Zeladam Marinius.

Sed antequam hunc codicem quasi de cœlo delapsum e suis manibus dimitteret, quoddam aliud exemplar sibi inde exprimendum voluit, quod diligenter, amiceque servavit. Habent sua fata libelli. Autographus ille codex a salsamentario ergastulo liberatus & in cl. purpurati bibliotheca sancte repositus per varios casus, atque inopinatarum rerum discrimina ab hac in toletanæ Ecclesiæ bibliothecam evolavit, aut saltem eo migrare jussus est. Aliud vero exemplar ex illo descriptum, dono mihi ab amico Marinio datum, modo in lucem publicam emittitur, seseque omnium oculis legendum sistit. Quare quidquid ab eo lucis in historiam, quidquid commodi in rem litterariam emanarit, totum id Marinii studio, diligentiæ, humanitatique debemus.

Verum illius egregii viri tot sunt, tamque insignia in pleraque disciplinarum genera merita, ut hoc qualecumque sit, vix in aliquo numero haberi queat. Siquidem & archiatrorum pontificiorum, & archigymnasii romani, seu potius medicinæ universæ liberaliumque artium historiæ, & rei item diplomaticæ ab ejus voluminibus magnum lumen accessit, & tota quam late patet romanarum inscriptionum doctrina, quæ plus habet in reccessu, quam prima fronte apparet, tota inquam, aperta nobis est in plerisque ejus scriptis, sed in eo præsertim, quo fratrum arvalium acta & monumenta diserte explanat; & quæ maxima laus in laudato scriptore haberi debet, non suis tantum modo, se d aliorum etiam scriptis, optime de universa re litteraria meritus est. Ejus enim benigno studio prudentique facilitate patet omnibus vaticanæ bibliothecæ thesaurus, ipsius litterariæ opes per universam Europam propagantur; plenaque sunt eruditorum hominum scripta monumentis a Marinii sagacitate & industria detectis, & ab ejusdem benignitate communicatis. Faxit Deus ut amplum opus de antiquis papyris explicandis illustrandisque, in quo adornando nunc solerter laborat, possit confectum dare ad universæ historiæ splendorem; & quod magis etiam optandum est, ut ingens illa christianarum inscriptionum copia, quam ipse summo studio, laboriosa pervestigatione, assiduoque

tot annorum speculatu deprehendit, subtili ingenio, oculata calliditate, accurataque fidelitate descripsit, atque in suas classes bene dispositas in quatuor amplissimæ molis volumina collectas asservat, possit aliquando publico commodo in lucem prodire: erit quo litteraria æque ac christiana respublica nova emolumenta capiat, possitque tam eximio illustratore gloriari. Verum Marinii laudes abunde doctorum hominum litteris, & linguis prædicantur; nobis ejus benevolentiæ largitatique gratias & agere, & habere maxime incumbit. Vix enim ab ore meo excidit ineditum me quidpiam Antonii Augustini perquirere sive epistolarum id foret, sive aliorum opusculorum, nihil ille moratus ad scrinia sua ultro accurrit, atque inde hoc volumen depromens manibus meis amice sistit, eoque meo prorsus arbitratu utendi facit plenissimam potestatem. Quod quidem debitum testimonium viro clarissimo dandum duximus, non quo major ipsi honor accrescat, sed ut norint omnes cui hocce Augustini doctrinæ, judiciique monumentum debeamus, atque huic muneri a tanto viro venienti novus quidam honor clariorque dignitas accrescat. Verum jam rem ipsam penitius inspiciamus.

Centum sexque epistolæ in hoc codice reperiuntur, pleræque omnes Augustini sunt ad amicos scriptæ, paucæ vero quædam amicorum ad Augustinum;

de cunctis singillatim verba faciemus. Occurrit ante omnes Didacus Hurtado de Mendoza, seu, ut Augustinus, aliique complures scribunt, Jacobus Furtadius Mendoza, quem Paulus Manutius Diegum, Lælius Taurellius Diacheum vocant, ad quem primæ septem epistolæ datæ sunt, quique ob insignia sua merita jure quodam suo postulare videtur, ut in ejus memoriam, eorumque qui ad ipsum spectant, paulo latius excurramus. Quid enim abest huic homini, quod si adesset, jure nos omnem laudum cumulum in ipsum conferre maxime averemus? Nobilitas sanguinis, ingenii doctrinæque præstantia, bellicæ, politicæque artis scientia, legationum, magistratuumque amplitudo, graviorumque munerum, & honorum ornamenta, summa omnia in Mendoza, ac præclara fuerunt. Antiquissimo genere ortus plurimis erat avorum titulis insignitus, qui magnum nostris laudibus argumentum præberent, si eorum omnium res gestas oratione persequi vellemus. Sed nos propius ad Jacobum accedentes patrem fratresque tantummodo, idque non nostris, sed Pauli Manutii verbis commemorabimus (a). Patrem habuit Ennecum Tendillæ Comitem Mondejarensem Marchionem, qui, ut ait Manutius, *cum annum ageret vix quintum & decimum, qua ætate mili-*

(a) Ad Diegum Hurtadum de Mendoza &c. In Phil. Cic. partem primam.

tes in exercitu pauci solent esse, omnium approbatione, qui exercitus regeret electus, Bœticæ regem bis acie fusum regno exuit, & quæcumque in ejus ditione fuerant catholici regis imperio potestatique subjecit. Ipsius soror fuit fœmina præstantissima; cujus, ut idem inquit, *militaria facinora cum audimus, cuivis eam nostræ ætatis viro comparamus; cum autem ea quæ scripsit legimus, vel antiquis scriptoribus ingenii præstantia simillimam judicamus*. De fratribus item eos esse dicit, quorum potissimum virtute, ac fide Carolus imperator niteretur. *Nam fratrem tuum*, inquit, *Marchionem de Mondejar, qui cæteros ætate anteit, cum aliis in rebus, tum in victoria tunetana equitibus levis armaturæ & classi maxime præpositum magno suis rebus sensit esse adjumento. Alterum autem Episcopatu Jaenensi ornatum summe propter eruditionem, & prudentiam diligit: tertium indicis provinciis proregem: quartum hispanicis triremibus præfecit*. In ea igitur familia anno 1503 natus Jacobus Granatæ primum in patria, tum Salmanticæ latinis, græcis, arabicisque litteris eruditus, mathematicis, philosophicisque disciplinis excultus, juris tum civilis, tum canonici prudentiam assecutus, patrio sermoni perpoliendo exornandoque singularem operam impendens, eam sibi viam ad immortalitatem stravit, qua fratrum suorum gloriam superaret. Tum

militari sacramento adstrictus a scholasticis umbraculis in militiæ campos traductus, nequaquam se sivit per bellicos strepitus a litterarum cultura removeri. Etenim per hybernas bellorum intermissiones, quod aliis ad res suas obeundas, atque ad requiem animi, & corporis, conceditur temporis, quodque cæteri tempestivis conviviis, ludis, scenicisque spectaculis, choreis agendis, voluptatibusque captandis tribuere solent, id ille ad academias frequentandas, ad præceptores audiendos, ad mathematicas, philosophicasque disciplinas, litterarumque studia diligentius recolenda sibi sumebat. Quo tantam rerum cognitionem, & consiliorum prudentiam assecutus est, ut eum in suo consilio voluerit esse Carolus V. & in maximis temporum dificultatibus unum elegerit, cui sui oratoris primum Venetiis, tum in tridentino concilio, demumque Romæ partes imponeret, quemque inter civicas Senarum turbationes cum militari civilique imperio urbi, & provinciæ universæ gubernandæ præficeret, Atque inter hæc tam gravia, tamque difficilia munera iis oblectamentis animum recreabat, quæ Lucullos, Pompejos, celebrioresque antiquitatis imperatores decerent. Quem enim unquam posteriorum temporum, aut vidimus, aut audivimus militarem virum, oratoremve regium cujus domus studiosis doctisque hominibus sive hospitio, sive confugio,

sive solatio dies noctesque pateret, quæ eruditis sermonibus usque personaret, doctissimæque academiæ loco haberi posset? Ubi præ foliis lusoriis codices græci latini arabicique evolverentur, pro cirratis comtisque pueris scriptores, librarii, glutinatoresque circumversarentur, ubi denique de libris continuo, seu typis exaratis, seu manu scriptis, aut comparandis, aut describendis, aut corrigendis, aut explicandis, aut quoquomodo exornandis diu noctuque ageretur. Atqui ea erat Mendozæ domus dum regium oratorem Venetiis ageret.

Libet hic ad Mendozæ studium eruditionemque commendandam Conradi Gesneri verba, quæ majorem fidem mereri debent, referre. Hic enim in *Bibliotheca*, cum de Mendoza loquitur, sic ait: *Superiore anno* (1544) *Venetiis a me visus est, et nuper ex Arnoldi Arlenii nostri litteris cognovi, ipsum, quamvis maximarum rerum administratione districtum, pristina tamen litterarum, et philosophiæ studia non deserere, ingenio esse celso, ac in philosophicis præsertim, & mathematicis egregiè doctum & luculentam paraphrasim in totum Aristotelem instituere: item de Tunetana expeditione historiam latine scripsisse, cui ipse non solum interfuit, sed etiam bona ex parte cum fratribus præfuit. Bibliothecam Venetiis ornatissimam habet, ac omne genus rarissimis libris, præsertim græcis,*

mire instructam. Ejus catalogum Arlenius, quem in contubernio suo legatus valde amanter fovet, mihi ostendit, & sæpe a nobis in hoc volumine commemoratur. Atque hæc Gesnerus. Nos ut cætera omittamus, quæ nimis longam orationem postularent, his tantum immorabimur quæ in modo dictis epistolis memorari videmus. Duos ille librarios continuo domi alebat qui græcis codicibus transcribendis insudarent. Quorum alter græcus erat nomine mihi ignotus; alter vero & græce, & latine doctus Arnoldus Arlenius, quem & Augustinus, & Metellus, & Petrus Victorius, & Calcagninius, & Giraldus, & Floridus, & plures alii sæpe laudant, & de quo nobis postea redibit sermo. Talium ergo hominum opera utebatur Mendoza ad græcos codices exscribendos, resque librarias accurate tractandas. Quo factum est, ut præstantissimos rarosque codices, quales nondum Italia viderat, pretio compararet, alios hinc inde transcribendos curaret, librariamque suam supellectilem regia potius quam privata magnificentia augeret. Præcipue vero complura græca exemplaria ab Arlenio, atque a græcis scriptoribus exscribi fecit, quæ a Bibliotheca S. Marci depromi sibi per Venetos Senatores licebat, quæque cum accurate a suis scriptoribus expressa fuerint, in Bibliothecam Marcianam, ubi ad hæc usque tempora servabantur, sancte restituit. Quare nulla fides ha-

benda est garrulis quibusdam criticis, qui Mendozæ adeo nobili, honestoque viro furti notam, quæ ipsis fortasse aptius conveniret, impingere ausi sunt. Rectius profecto, atque æquiore judicio duo principes venetæ litteraturæ Foscarinius (a), atque Morellius (b), Mendozam ab hac insana calumnia vindicarunt, aperteque testati sunt cuncta exemplaria ab illo deprompta summa religione, & fidelitate fuisse restituta, neque passum esse virum illum sanctissimum ne minimum quidem illius bibliothecæ foliolum penes se remanere. Id manifestius evincunt, & omnibus palam faciunt tabulæ publicæ, in quibus codices ad alicujus viri illustris usum e bibliotheca extracti signabantur, quas æquissimus idem & eruditissimus Morellius e quodam nescio quo tabularii angulo eduxit, & in bibliotheca omnium quotquot velint oculis inspiciendas reposuit. Ibi profecto multi quidem græci codices Xenophontis, Aristotelis, Plutarchi, Heronis, Cleomedis, Diophanti, Actorum Conciliorum, Epistolarum pontificum, & imperatorum, aliique plures a Mendoza mutuati signantur, sed iidem illico ab eodem Mendoza restituti cum consule, ut ajunt, & die adnotantur. Quin ipse præter hos, quos Venetiis transcribi jubebat, plurimos a-

(a) Della lett. Ven. p. 65.
(b) Della Publ. Lib. di S. Marco p. 71.

lios libros ex aliis Italiæ bibliothecis sibi exarandos curabat, imo & complures item ex universa Græcia, diversisque insuper orientis regionibus assidue comparabat; ejusque opibus, & liberali, munificoque studio nonnulla græca opuscula debemus tum sacra, tum prophana, que tum primum in Italia visa sunt. Arnoldus Arlenius, qui *domestica*, ut ipse ajebat, *frequentatione, & inspectione* Mendozæ virtutes politicas & morales adamabat, & gesta, ut ita dicam, litteraria noverat, cum multa & egregia Mendozæ facta commendat, tum illud maxime quod: *labores infinitos, ac sumptus maximos in exquisitissimos inventuque rarissimos codices insumeret; quos tum in Italia tum in Græcia defossos quasi thesauros aliquos eruendos, ac in suam pulcherimam bibliothecam deferendos curaret*. Cui paullo post subjungit: *Siquidem pro tua fortuna existimasti te posse, pro acerrimo ingenio debere, ut curares ad omnem litterarum cultum doctissimos quosque scriptores in lucem proferendos, qui naturam rerum omnium aperirent, & solidæ veræque sapientiæ disciplinam exponerent. Ad quorum etiam vel renovationem, vel splendorem magnam, ut jam ab initio dicebam, pecuniæ vim profundere voluisti: cum tua potissimum opera plurima veterum monumenta scriptis tradita, quæ dudum in hac infelici miseraque Græcia servitute oppressa delituerunt, ex tenebris jam extracta*

conspiciantur. (a) Non abs re erit hoc loco ad generosæ Mendozæ indolis laudem commemorare singulare factum, æternaque memoria dignum non Venetûm modo, sed eorum omnium, quibus aliquis inest amor virtutis, & litterarum, illudque iis, quibus Nicolaus Antonius utitur verbis referre (b). *Nimirum pro carissimo Turcarum magno imperatori Solimano captivo, quem ab iis, qui in potestate habebant, non parvo ære redemerat, liberumque dimiserat, non aliam oblatæ ab illo principe gratitudinis significationem admittere voluit, quam quod Venetis liberum esset e turcarum ditione grana, quibus indigebant, petere, librorumque aliquot græcorum sibi ut esse liceret compos; quod utrumque impetravit facile*. Quod vero ibidem adiungit Antonius: *sex non minus arcis librorum manuscriptorum thesauro quovis pretiosiorum plenis Solimani dono recuperatis;* non æque, ut obiter dicam, a cæteris scriptoribus refertur, cum alii non sex tantum eas arcas, sed sexaginta fuisse velint; & Andreas Schottus non tantum arcas, sed navem librorum onustam a turcarum imperatore obtinuisse dicat (c); cumque contra Iriarte, qui MS. librorum mendozianæ bibliothecæ indicem vidit, sibique transcripsit, eos enumerans, qui a

(a) Præf. ad Jos. Flav. edit. Basil. 1544.

(b) Bibl. Hisp. v. *Didacus Hurtado de Mendoza*.

(c) Hisp. Bibl. p. 544.

Turca dati fuerunt, quique hoc titulo inscripti sunt: *Los que diò el Turco*, non ultra XXXI in eo catalogo apparere ostendat (a).

Neque his omnibus avida Mendozæ librorum sitis satiari poterat, cujus ut alia omittamus duo nobis hæ epistolæ argumenta suppeditant. Quid enim nobilius, quodque apertius generosum animum librorum appetentem patefaciat, quam duæ illæ litterariæ expeditiones, quas in hisce litteris a Joanne Metello memorari videmus? Altera scilicet cum Mendoza græcos scriptores, duce ac prefecto Arlenio, Florentiam misit, ut bibliothecas illas excuterent, eosque libros, quos Arlenius ad ejus bibliothecam locupletandam aptos existimaret, transcriberent (b). Altera vero cum Nicolaum Sophianum corcyrensem, quem Augustinus in epistola ad Surium doctum virum appellat, & quem nos alias ampliori oratione commemorare opottebit, in Asiam misit ad græcos libros seu excribendos, seu quovis ære comparandos. Sic enim scribit Metellus Venetiis VIII id. Febr. an. 1543: *Jacobus Mendoza Nicolaum Sophianum corcyrensem in montem Atho misit procul a Thessalia centum milliaribus, ut quidquid librorum nondum editorum græceque scriptorum inve-*

(a) Reg. Bibl. Matr. cod. gr. p. 177.
(b) Ep. 23

niret, ad se deferret, aut describi curaret. Is est cujus tabellam Græciæ commendabat Philenus Lunardus noster. Eum rogavi & sum magnopere hortatus, ut juris consultos præsertim Codicem, & Pandectas perquireret; quod se facturum promisit: num id præstabit, nescio. Se ante sex menses non rediturum affirmabat (a). Rursus IX. Kal. Martii Patavio iterat eadem ista illi: *Postremis autem scripsi legatum cæsarianum misisse in Thessaliam ad Athum montem, sic enim appellant, Nicolaum Sophianum corcyrensem ad conquirenda, describendaque clarissimorum authorum monumenta, ac opera; me vero eum ipsum græcum rogasse, ut si usquam loci Pandectas græce versas, atque Justiniani Codicem, aliaque jurisconsultorum volumina inveniret, huc afferret. Id enim ei commodo, quod ipse potissimum spectabat, haud mediocri fore* (b). Hæc, aliaque complura in Mendozæ laudem complexus est Lazarus Bonamicus in eo carmine, quod *Diego Hurtado* inscripsit, imo non unum tantum, sed multos ad montem Athon missos narrat. Digni prefecto sunt qui legantur versus omnes, quibus Mendozam commendat; nos paucos referemus, qui fere omnia modo a nobis dicta confirmant.

(a) Ep. 80.
(b) Ep. 81.

. . . prisca de gente Diege,
Cui tanta est fortunæ copia, tanta bonorum
Librorum, ingenii multo et solertia major.
Cujus luce vigens circumspicis omnia quæ sunt
Quaque in re vel agenda, acrive indagine mentis
Concipienda, in utram libeat tibi te dare partem.
. . . . te sæpe loquentem
Mirantur veneti patres, tua dicta Senatus
Observat gravis ille, imoque in corde reponit.
Frumenti per te magnus convectus in urbem
Adriacam numerus famis expallescere vultum
Horribilem vetuit. Tu multos mittis ad altum
Scriptores Athon, huc veterum monumenta virorum
Comportaturos . . . .

Nicolaus ergo Sophianus cum multis illis scriptoribus a Bonamico indicatis longum iter ad altum Athon aggressus fuit, ut Mendozæ studio, aviditatique librorum inserviret, eorumque insignium virorum numerum auxit, qui litterario Mendozæ famulatui adscripti, & sibi, & domino suo honorem pariebant. Magna vero laus est tales homines in domesticam familiam adlegere, a quibus non tam servitutis officia, quam doctrinæ pæcepta accipi queant. Atque his profecto utebatur Mendoza ad librariam suam supellectilem augendam, cujus usum non soli sibi, quod plerique solent, reservari

volebat, sed aliis etiam permittebat, cupiebatque eam bibliothecam, uti ait Arlenius, *tot tantisque monumentis instructam atque ornatam, cum omnibus etiam studiosis, piisque hominibus habere communem*, illud maxime optans, ut *quidquid publici commodi adipiscendi causa impresioni subjiciendum existimarent, id communi utilitati offerendum curarent*, uti de se narrat Arlenius in ea epistola, qua Mendozæ dedicat Josephum Flavium a se editum ex codice Mendoziano. Atque eo sese efferebat Mendozæ liberalitas, ut non domi suæ tantum, quin neque intra Venetiarum ambitum solummodo libris suis uti amicis permitteret; sed alio etiam extra domum suam, extra urbem, ad terras longe a se dissitas deportari concedebat. Sic nimirum Tridentum usque ad Cardinalem Cervinum aliquot libros e sua bibliotecha afferri concessit, atque huic suæ facilitati versionem, editionemque debemus dialogi *Ammonius* Zachariæ Scholastici a Gentiano Herveto nobis datam. Nam *cum*, ut ipse Hervetus in epistola nuncupatoria ad Mendozam inquit, *bonarum litterarum, & disciplinarum omnium studiosissimus Marcellus Cervinus, Cardinalis amplissimus, & Tridentini Concilii Legatus, pulcherrimos aliquot libros ex* Mendozæ *copiosissima, & instructissima bibliotheca ad se allatos* Herveto *legendos obtulisset;* hic illius Dialogi doctrina ca-

ptus, ut communi utilitati faveret e græco in latinum convertendum suscepit, atque ita conversum Basileæ edendum curavit, Mendozæque dicavit.

Ipse vero Mendoza & librorum lectione, & eruditorum virorum colloquiis, & suismet meditationibus animum ampliori disciplinarum notitia, intimiorique rerum prudentia excolebat, & doctorum omnium, maturiorisque sapientiæ hominum benevolentiam, & venerationem sibi conciliabat. Hinc tot illæ librorum editiones Mendozæ multis honoris, laudumque verbis dicatæ. Manutius Ciceronis de philosophia libros cum vetustis exemplaribus collatos & emendatos ei dicavit. Arlenius Josephum Flavium. Gentianus Hervetus Zachariæ scholastici dialogum *Ammonius*. Annibal Crucejus narrationis amatoriæ fragmentum e græco in latinum a se conversum. Bartholomæus Carranza archiepiscopus toletanus *summam conciliorum* &c.; & complures alii sua opera illi certatim nuncupabant. At Mendoza quamvis complura & diversa studia philosophica & mathematica, latinarum græcarumque & arabicarum litterarum, amœnioris severiorisque eruditionis alacriter amplecteretur, præ cæteris tamen *philosophiæ & historiæ studio vehementer teneri*, *sed magis tamen philosophia delectari*, ait Manutius (*a*). Et sane singulari illum amore erga Aristo-

(*a*) Ad Diegum etc. ubi supra.

telem fuisse animatum luculento argumento esse valent, & Mechanica Aristotelis e græco in hispanum sermonem conversa & hispana paraphrasis in totum Aristotelem ducta, & aliæ ejusdem philosophicæ lucubrationes. Quod etiam Augustinus in epistolis ad Fasolum confirmat (a), cum eum ad Simplicium maturandum urget ut Jacobo Mendozæ legato, *qui peripateticorum*, ait, *scholis mire deditus est*, ostendere queat; & magis etiam aperte ad ipsum Mendozam in ea epistola, quæ licet edita jamdiu sit, a nobis tamen hic iterum proferetur, cum ei scribit: *cum te ipsum noverimus ex græcis, latinis, atque arabicis libris, quos tu ex omnibus totius fere orbis regionibus e tenebris, ac vinculis in lucem, ac libertatem vindicasti, peripateticorum disciplinam, quam optime calles, Aristotelis tui libris (passis iterum veterem illam Strabonis cariem) emendatis exornare* (b). Neque solum ipse per se philosophica studia colebat, sed alios etiam ad ea ornanda amanter excitabat. Mendozæ ut voluntati & instigationibus obsecundaret Alexander Piccolomini, Aristotelis Mechanicæ librum collatis exemplaribus perpolivit, & latina paraphrasi exposuit. Et cum Daniel Barbarus Porphyrium fuerit commentatus, urgere eum non cessavit Mendoza,

(a) Ep. 18. (b) Ep. 7.

donec perpulit ut suas commentationes in lucem proferret. Sic enim ipse in epistola nuncupatoria ad cardinalem Benedictum Accoltum Mendozæ amicum & hospitem: *sub tuo nomine emittam quod accrimum Jacobi Urtadi de Mendoza Cæsarei apud Venetos legati, viri doctissimi, meique amantissimi judicium, & amor in me summus emittere persuasit.* Atque hæc quidem abunde probant quo ille philosophiæ amore exardesceret. Quam parum vero philosophica hæc studia a poeticis historicisque eum removerint, norunt hispani omnes; qui Mendozam hispanum Sallustium appellare non verentur, eundemque & elegantem poetam prædicant lepidumque fabulæ romanensis sciptorem, & inter cultiores, elegantioresque patrii sermonis libros Mendozæ historiam belli granatensis, ipsiusque poematum amplum volumen, fabulamque *Lazarillo de Tormes* adnumerant. Verum hæc ad aliquantulam Mendozæ notitiam dicta sint satis; neque enim hic locus est laudationi tanti viri instituendæ; & nos quidem licet in ejus laudes non libentius, quam verius excurrere late possemus, eas relinquimus hispanicis academiis canendas, quod ad illas propius spectat, & quo doctorum hominum votis obsecundaturas fore certo novimus; hic ea tantum persecuti sumus, quibus majus aliquod lumen nonnullis harum epistolarum locis quodammodo affer-

ri queat. Sex tantum hic sunt epistolæ ad Mendozam datæ, quibus tamen aliam suprâmemoratam, quantumvis editam adiungemus, ut clarius horum adeo illustrium virorum epistolare commercium, & mutua amicitiæ studiorumque conjunctio quasi uno intuitu conspiciatur.

Longe a litteraria Mendozæ celebritate abest Joannes Fasolus, licet hic in patavino gymnasio latinarum, et græcarum litterarum professor plures habuerit ex tota Italia, & ab exteris nationibus auditores. Quare cariores undecim hasce quæ hic consequuntur epistolas habere debemus, quæ non obscuram patavini professoris notitiam nobis suppeditant. Joannem, quem Angustinus vocat Fasolum, alii satis recte dicunt Faseolum, alii vero Fazellum, sed perperam, appellant; siquidem Fazellus sicnlus historicus fuit, Fasolus sive Faseolus philologus patavinus. Magistros habuissePatavii Benedictum Lampridium, & Lazarum Bonamicum ex quadam ipsius epistola ad Petrum Victorium affirmare valemus. Sic enim ille scribit: *Quatuor nostra hæc ætas in nostris his studiis, ac polita multarum rerum cognitione, qui haud domi taciti latuerint, sed quantum in ipsis fuerit præclaris juvenibus admodum profuerint, ac profundissimos omnes utriusque linquæ scriptores summa cum dignitate semper in manibus habuerint, non paucaque summopere commen-*

danda & ipsi pepererint, revera excellentes in primis tulit viros. Mihi autem datum fuit, ut ex his duos non solum noverim, sed multos etiam annos græcos, latinosque libros interpretantes audierim, ipsisque penitus intimus fuerim. At Lazarus Bonamicus, & Benedictus Lampridius ii sunt, quos mea oratione signifi o (a). Romuli Amasæi non auditor, sed amicus tamen fuit, nam ibidem ita sequitur: *Tertius Romulus Amasæus succedit, quod licet de superiori loco nunquam exponentem, ut optabam, viderim, attamen de facie novi, & familiariter cum eo sum aliquando loquutus.* Quam quidem amicitiæ consuetudinem Faseoli cum Romulo Amasæo hæ etiam nostræ litteræ sæpe testantur. Antonius Riccoboni (b), & Philippus Thomasinus (c) Faseolum dicunt anno 1545 ad lecturam græcam fuisse conductum, & hosce sequutus Facciolatus in fastis gymnasii patavini (d) cum primum de Lazaro Bonamico verba fecisset, ad annum 1545. ait: *Faseolus græcæ linguæ tradendæ curam suscepit, primusque Simplicii commentarios in latinum sermonem vertit. At hic quoque non multo post sive æmulatione collegæ* (Lazari Bonamici) *sive conditionis augendæ spe cum magistratu egit, ut sibi duplicaretur onus. Facile impetra-*

(a) Cl. vir. ad P. Vict. T. I. p. 131.
(b) De gymn. Patav. (c) Gymn. patavinum.
(d) Tom. I.

tum. Itaque S.C. ex triumvirûm relatione factum est, ut Faseolo liceret cum græcis latina conjungere. Atqui aut hæc omnia longe ante annum 1545 contigisse, aut saltem privatam scholam ante illud tempus græcarum, latinarumque litterarum Fasolum habuisse ex Augustini epistolis deprehendimus. Nam cum Augustinus anno 1537, & sequenti patavinum gymnasium adiit, jam ibi tum Faseolus multos in utraque lingua discipulos habebat, quorum unus, qui multorum instar esse poterat, fuit Augustinus; & Bononiam anno 1538 reversus, sic Kalendis quintil. de Cornelio Musso Faseoli amico, qui Bononiæ publice divinam humanamque philosophiam docebat, ad Faseolum scribit: *qui* (Cornelius) *& mihi gratulatus est, quod te possem praeceptorem laudare, & tibi quod in utraque lingua multos habeas, habiturusque sis discipulos* (a). Faseolum in Italia natum, in patavina academia educatum, ab iisque insuper majoribus ortum ut domi semper habuerit quem imitaretur, posteriores aliæ ipsius Augustini litteræ declarant (b); & sane Bernardinus Scardeonius, & Antonius Riccobonus, qui ejusdem patriæ et ætatis erant, eum patavinum appellant. Faseolum non cum Cornelio solum, verum cum Romulo Amasæo, cumque aliis bononiensibus

---

(a) Ep. 8. (b) Ep. 11.

eruditis amicitia conjunctum, Bononiam ad amicos visendos, atque ad Matthæum Curtium audiendum cogitasse ex aliis ad V. Kal. jun. scriptis novimus (a); id tamen non præstitisse posteriores aliæ epistolæ aperte indicant (b). Anno 1542 Simplicii latinam versionem a Faseolo fuisse confectam, sed nondum editam, neque fortassis adhuc ad unguem perpolitam, argumento nobis esse poterunt, quæ postr. id. sept. Augustinus scribit Venetiis: *Simplicium tuum cupio videre, ut Jacobo Mendozæ legato, qui peripateticorum scholis mire deditus est, ostendam* (c). Edita vero est anno 1543; & tum Metellus id. nov. ad Augustinum scribit: *Faseolus item noster, qui te cum multa amoris testificatione salvere jubet, in mandatis dedit, ut Mendozæ legato quod reliquum erat duobus exemplis Simplicii a se conversi redderem. Quare ab Arlenio alterum accipias, necesse est* (d). Quid ille de collega suo, olim magistro, Lazaro Bonamico sentiret, quid ad Augustinum scripserit, nobis non patet; sed id tamen non obscure significat Augustinus, cum ad ipsum respondeat, *Quæ de Bonamici negligentia scribis credo; dederat enim cum isthic eram, maxima ejus rei indicia* (e). Bernardinus Scardeonius Canoni-

(a) Ep. 12. (b) Ep. 14. 15. (c) Ep. 18. (d) Ep. 26.
(e) Ep. 11.

cus patavinus, Faseoli amicissimus, quem anno 1560 juvenem adhuc appellat, cum in ejus laudes amice excurrerit, haec subjungit: *Is in primævo ætatis suæ tempore aggressus difficiles Simplicii commentarios, primus e græcis accurate latinos fecit, qui jam bis prelo redditi ubique leguntur, et a doctis vehementer probantur. Cum his autem et tres epistolas edidit cultissimas, quarum prima imperitos, et inelegantes interpretes deserendos esse admonet; altera vero arabas relinquendos probat; tertia vero ad bonos probatosque authores legendos studiosos invitat. Hæc quidem utpote a juvene magna certe videri possunt; sed parva quidem ad ea quæ deinceps doctrina ejus in provectiori ætate polliceri videtur* (a). Verum præter illam Simplicii versionem eique subjectas epistolas, & paucas alias ad Petrum Victorium aliosque familiares litteras, nihil aliud a Faseolo præstitum novimus. Circa finem anni 1571 diem suum obiisse ait Antonius Riccobonus, qui eum vocat *virum sine dubio doctissimum & disertissimum, litterarumque græcarum et latinarum peritissimum* (a). Carus erat multis Faseolus, habebatque discipulos sui amantissimos, quos inter Augustinus, atque Metellus nobilem locum obtinent,

(a) De Ant. urbis pat, &c. lib. 11. clas. X.
(b) De Gymn, patav.

quod utriusque quidem, sed Augustini præsertim litteras legentibus manifesto apparebit.

De Joanne Sora, deque Georgio Vaschio, & Joanne Angujano, ad quos plures aliæ sequntur epistolæ, paucis me expediam, cum eorumdem notitia non admodum ad rei litterariæ incrementum, sive ornamentum conferre queat. Multa concurrunt simul & Augustini, & viri clarissimi Genesii Sepulvedæ testimonia, quæ Joannem Soram probum doctumque hominem, & maxime juris prudentem sapientemqne declarent. Ipsi qninetiam recentiores sodales bononiensis S. Clementis Hispanorum collegii iu epistola ad Maiansium anno 1753 scripta honori sibi ducunt, quod Soram inter collegas suos referre valeant; atque ad collegii decus Soram, ingenuum illum quidem, & nobili patre, atque honesto loco natum, sed nullis familiæ titulis, nulla publicæ professiouis doctrina, editorumve librorum fama commendatum, suis tantummodo propriis meritis clarum, conferunt cum Guevara, cum Sepulveda, cum Augustino, cum Herrera, cum episcopis, cum Hispaniæ proceribus, cum laudatissimis scriptoribus, cumque iis hominibus quorum nomina ad honoris significationem proferuntur. Quare timendum nobis non est, ne laudum argumenta deessent, si hominis domesticis publicisque moribus, celebritate fori, & magistratuum honoribus insignis lauda-

tionem hoc loco instituere liceret. Sed nos hæc aliis præstanda relinquimus eaque tantum quæ legentibus hasce litteras facem quodammodo præferre valeant, leviter persequemur. Joannes Sora anno 1510 patre Ludovico Sora Cæsaraugustæ natus, ibique litterarum studiis institutus, Bononiam venit ad uberiorem doctrinam hauriendam, & anno 1533 in collegio S. Clementis ab hispanis sociis cooptatus scholas academicas frequentavit, & jurisprudentiæ laurea donatus in patriam remeavit. Gregorius Majansius, quem honoris causa nomino, jurisconsultus doctissimus, & rebus hispanicis illustrandis author eruditissimus, Soram dicit in bononiensi academia juris civilis & canonici scientiam professum fuisse, citatque ad calcem Sepulvedæ epistolam XXXIV. libri III. (a). Sed vereor ne Majansius in Soræ laudes merito liberalis nimis lata interpretatione Sepulvedæ verba exponere voluerit. Sepulveda enim in ea epistola Soram quidem multis commendat laudibus, eumque ex bononiensi academia doctorem utriusque juris in patriam rediisse scribit, sed ejus scientiam professum fuisse nequaquam indicat. Neque Augustinus in tot epistolis, quibus sive Soram alloquitur, sive de Sora loquitur, de ipsius publica professione verbum ullum facit, ne-

(a) In Ant. Aug. vita Ed. Luc. T. II. p. LXXXII.

que cum tot ei amicos Bononiæ degentes sæpe commemoret, ullum unquam ejus discipulum appellat. Atque hic obiter notare liceat in anno sorani in patriam reditus signando typographorum errorem in editione lucensi irrepsisse. Nam cum Majansius in hispana vita Antonii Augustini dicat id quod verissimum est, Soram nempe in patriam rediisse anno 1537, in ea editione legitur anno 1553. Verum ad nostram rem: Joannem Soram adolescentem vixdum e bononiensi collegio in pattiam regressum in hisce epistolis spectare licet. Hic enim videmus Soram foro impense deditum, clientibus circumventum, multis negotiis & occupationibus obstrictum, caussas agendo augere in dies rem familiarem, & prope esse ut jurisconsulti filiam uxorem centum H. S. dotatam duceret (a); imo & eam duxisse, & Azpeitæ filiam esse, alibi in epistola Bernardo Boleæ nuntiat (b). Levia quidem hæc sunt, sed quæ tamen memorare juvat, cum ad uberiorem tanti viri notitiam percipiendam conferre valeant: illa graviora, & magis ad Soræ laudem, eum videlicet magni ab Augustino habitum, consultumque de rebus ad sua studia spectantibus, adhibitumque in dialogis *de variis difficillimisque rebus juris civilis*, qui una cum Bernardo Bolea, & Petro Ruitio graviores ju-

(a) Ep. 12 20 30. (b) Edit. Luc. tom. VII p. 166.

risprudentiæ quæstiones dissolveret; tum justum eum & sapientem hominum æstimatorem putari debere, qui adhuc adolescens magnum Alciatum, cum a nonnullis despicatui, ab aliis etiam odio haberetur, ipse semper magnifice prædicarit, laudibusque in cœlum extulerit (*a*), atque in pragmaticis juris quæstionibus vel ab Hispania ejus consilium exquisierit (*b*); quin & mutuo Soram ab Alciato fuisse æstimatum, cum ipsius causa aliqua præstiterit, quæ ab aliis rogatus non exegisset (*c*). Quibus ea ad extremum libet adjungere, quæ de Sora narrat recentissimus aragoniensis bibliographus Felix de la Tassa, ipsum nempe gratum principibus, gratum populo, ab omnibus propter eximiam probitatem atque prudentiam commendatum, pluribus, illustribusque magistratibus functum, ad supremam aragoniensis consilii præfecturam pervenisse, eamque summa integritate & justitia administrasse, gravioribusque negotiis conficiendis ad extremum usque vitæ spiritum adhibitum, anno demum 1570 e vita excessisse. (*d*), Atque hæc de Sora.

Georgius vero Vasquius, & Joannes Angujanus studiosi erant adolescentes hispani, qui Patavii studiorum cursum peregerunt, atque Augustini, dum

(*a*) Ep. 22. (*b*) Ep. 22. 26. (*c*) Ep. 16.
(*d*) *Bibl. nueva de' los escr. arag.* ec. 1798.

ibi esset, amicissimi contubernales. Quorum alter, Joannes Angujanus Bononiam postea anno 1540 migravit in collegium S. Clementis ab hispanis sociis cooptandus, alter vero Georgius Vasquius Romam, unde prius venerat, reversus eo vota sua intendebat, ut sedem in romana rota litibus judicandis obtineret, factusne fuerit voti sui compos, haud scio. Amice, & familiariter cum eis in hisce litteris jocatur Augustinus, liberiusque idcirco & verius quæ de præceptoribus suis, aliisque sentit, proferre non veretur: quare judicia inibi prolata majorem a nobis fidem quodammodo merentur.

Amplior nobis sese offert dicendi campus in Hieronymi Osorii laudibus, cujus mutuas cum Augustino epistolas recensendi hic locus est. Sed quid opus est verbis ad Osorii memoriam conservandam, cum extent et terantur manibus omnium, qui sapientiam cum eloquentia recte conjugendam existiment, egregia illius opera, atque ipsius pietatis, doctrinæ, latini sermonis elegantiæ, sapientiæ, & eloquentiæ singularis nunquam intermoritura monumenta? Quid enim magis ad evangelicam sanctitatem, ad gravitatem Platonis, atque ad Tullii eloquentiam elaboratum posteriora sæcula tulere, quam præclari ejus libri *de nobilitate civili & christiana; de gloria; de regis institutione, & disciplina; de vera sapientia; de justitia calesti*, totque a-

lii pietatem ubique, doctrinam, eruditionem, sermonis puritatem, suavitatemque redolentes? Pleni sunt plerique ejus temporis, posteriorumque scriptorum libri honorificentissimis testimoniis, quæ Osorium in astra tollant, nosque ab ejus laudandi cura removeant. Id tantum breviter dicemus quod ad rem nostram facere potest. Osorius Olysipone natus, Salmanticæ latinis, græcisque litteris ita excultus, ut jam tum vix ineunte adolescentia multa græce satis eleganter scripserit, & Jeremiæ lamentationes græco carmine expresserit, juricivili patris jussu iucubuit, sed ita tamen, ut optimos quosque auctores græcos latinosque e manibus nunquam dimitteret. Parisiis deinde aristotelicæ philosophiæ penitius cognoscendæ operam dedit; atque inde Bononiam se contulit, ubi theologiam, sacras literas, & hebræam linguam toto pectore hausit. Florebant ibi tum multi doctrinis græcis & latinis non mediocriter eruditi. *Erat mihi*, ait Osorius, *magnus usus cum Romulo Amasæo viro in dicendo admirabili, & in omni doctrinæ varietate præstantissimo. Observabam præterea Achillem Bocchium equestris ordinis ornamentis atque singulari eruditionis laude florentem. Ludovicum etiam Buccaferreum omnium peripateticorum facile principem studiose audiebam, & alios item multos & doctos habebam, arctissima consuetudine devinctos . . . Disputationes longiores sermonibus æqua-*

lium, cum quibus eram assidue, reservabam; ex quibus duos in primis ex omni nobilitate, insigni amore, & studio complexus sum. Alter erat Antonius Augustinus Cæsaraugustanus, quem propter mores suavissimos, & multiplicem eruditionem valde amabam: alter erat Joannes Metellus, homo singulari modestia præditus, qui cum diutissime vixi, atque conjunctissime (a). Cum ergo Bononiæ esset, & cum hisce viris doctissimis versaretur, eloquentissimos illos libros, qui omnium linguis, & literis prædicantur, *de nobilitate civili, & christiana* ad Platonis, Tulliique exemplum commentatus est; nihilque habuit prius quam ut eos Metelli, et Augustini, quibus omnia sua consilia libenter credebat, censorio judicio submitteret. Hinc primæ illæ epistolæ quæ inter Augustinum, et Osorium intercursarunt. Atque inde fortasse factum est, ut Osorii libri, qui paullo contractiores videbantur, in majorem amplitudinem ducerentur, Nam Augustinus cum censorium stilum in illos libros quoquomodo adhibere vellet, ut amicæ Osorii voluntati obsecundaret, nonnulla in eis notavit non quæ demenda, aut mutanda, sed quæ adjicienda essent. Nimirum *& exordia unicuique libro, & aliquot locis cum eodem illo, cui libri scribuntur, sermones deesse* existima-

(a) *De Gloria* lib. I.

bat, *et cum tertio libro eorum omnium, quæ in tribus dicta essent, conclusio oratorio quodam epilogo addenda videretur*, cumque id præstiturum Osorium sciret, ni timendum duxisset, ne in nimiam magnitudinem liber excresceret, eum hortatur, *ut ea quæ superioribus libris tam apte ex variis latinis græcisque historicis, & poetis miscuerat, quæque huic detraxisse videbatur, veritus fortasse ne majestati rerum parum responderent, postremæ præsertim parti restituat, qua de christianorum virtutibus disputat, atque ita ex uno libro duos efficiat* (a). Omnia mirum in modum Osorio probavit, qui docili libentique animo respondit, *se jam librum illum cogitare in duo corpora dividere, ut in singulis posset commodius evagari; quod tunc faceret multo studiosius, posteaquam id ipsum Augustino placere sensit* (b). Et vero cum duobus post annis libros *de nobilitate* Olysipone edendos curaret, adeo tertium protraxit, ut ex eo non tantummodo duos, sed tres efficeret, & cum antea totum hoc de nobilitate argumentum tribus libris comprehenderet, ita postea rem omnem adornavit, ut duos nobilitati *civili* relinqueret, *christianam* vero ab ipso magnopere amplificatam non minus quam totis tribus libris concluderet. Post hæc abiit Osorius ineunte anno

(a) Ep. 41. (b) Ep. 42.

1542 in Lusitaniam; sed neque locorum intervallo ab Augustini amicitia disjunctus fuit, neque eorum epistolare commercium temporum intercapedine cessavit. Nam & anno 1555 Augustinus cum in Britannia esset pontificis maximi legatus apud Mariam reginam, ad Osorium scribebat, uti ex hujus I libro in Gualterum Haddonum constat, & anno 1561 Osorii libri *de justitia* in Augustini manibus erant, & ejus opera brevi in lucem prodituros sperabat Osorius ad Rogerium Ascanium scribens. Nos hic epistolici eorum commercii exordia tantum habemus, sed in his tamen, præter complura alia quæ utriusque vitam, & res ejus temporis politicas & litterarias spectant, nescio quid simultatum inter lusitanum regem Joannem III ejusque fratrem principem Ludovicum ad interiorem Lusitaniæ aulæ historiam conjicere valemus. Obtinuit Osorius statim a suo reditu in Lusitaniam, imo & ante secundum ejus exitum in Bononiam, Ludovici principis benevolentiam, ei libros *de nobilitate* & *civili*, & *christiana* dicavit, atque ejusdem liberalitatis, & patrocinii haud obscuris officiis donatus fuit. Rescivit vero nequaquam se posse in familiaritate principis esse sine regis offensione; quare continuo urbem deseruit; quo regis gratiam, & laudem sibi conciliavit. Vitare tamen non valuit hominum valde potentium invidiam, ac vexatio-

nem; sed ille *ex omnibus curis facile in virtute, & humanitate Ludovici principis acquiescebat* (a). *Excelluit princeps hic*, ait Duardus Nonnius in *Emmanuele* I; *inter alios sui temporis, militaris disciplinæ studio maxime deditus, armorum, equitandi, & matheseos peritus, artium etiam libero homine dignarum non expers*. Eumdem Resendius *in oratione habita Conimbricæ in Gymnasio Regio &c* maxime commendat tamquam *studiis, armis, ac tot aliis nominibus, rebusque magnum*. Egregiam *Ludovici Laudationem funebrem* dixit Perpinianus; in qua nobis eum ostentat, ut litterarum studiosissimum, quo comite, & socio studiorum suorum gauderent summo ingenio, & doctrina viri, quique *consueverat sæpe de rebus obscurissimis ac difficillimis audire viros doctrina, & ingenio præstantes*, & cujus morte magnam sane jacturam litteræ fecerunt, *magnam prorsus*, inquit, *nescio an majorem ullam aliquando fecerint*. Hic ergo princeps Osorio impense favebat, ut ex hisce literis, & ex ejus vita ab Osorio nepote scripta videmus. Sed nihil in hac neque de his Ludovicum inter & Joannem sive simultatibus, sive zelotypia, sive æmulatione, neque de hoc Osorii ab aula, & ab urbe recessu, neque de hac aulicorum invidia, neque de hisce om-

(a) Ep. 45.

tibus, quæ in his epistolis amice, & familiariter Augustino innuit Osorius. Plura alia in his literis continentur, quæ nos eruditis lectoribus excerpenda relinquimus.

Melioris frugis, & doctrinæ uberioris videri poterunt eæ litteræ quæ in nostro codice continenter sequuntur; Augustini ad Taurellium, Taurellii ipsius ad Augustinum, tum Joannis Metelli, & Petri Victorii, & Arnoldi Arlenii, quas omnes, licet nonnullæ jam alibi editæ sint, hic rursus proferemus. Lælius Taurellius ante ommes exurgit, vir & libris editis, & magistratibus obitis conspicuus, de civili jurisprudentia optime meritus. Fani in Umbria natus; disciplinarum curriculo in patria primum, tum Ferrariæ, & demum Perusii peracto, pluribus legationibus, & magistratibus in pontificia ditione cum laude functus, Florentiam anno 1535 se recepit, vocatus ad lites in Rotæ consilio audiendas, seu Rotæ, ut ajunt, Auditor creatus. Ibi, quod raro exteris hominibus, imo & ipsis civibus evenire solet, singularem omnium, magisne regulorum, an subditorum, nescias, gratiam consecutus est; & Cosimo Magno Duci a secretis habitus, Palatii cancellarius, & magister libellorum, gravioribusque muneribus suffectus, probitate, integritate vitæ, fide, pietate, doctrina, & dexteritate rerum gerendarum summam auctoritatem sibi comparavit, ut, quemad-

modum dicit Robortellus, non olim apud Alexandrum Augustum Ulpianus, aut alius quivis apud maximos reges, & principes honoratior unquam fuerit (a). Verum ex multis præclarisque muneribus ab eo tum obitis duo præcipue nobis consideranda sunt, ut pote quæ fere omnem materiem mutuis Taurellii, Augustini, & Metelli epistolis suppeditant: alterum scilicet Athenæi pisani, quod propter adversas temporum vices prorsus dirutum erat, restaurandi cura Taurellio omnino credita; alterum accurata, & fidelis & exacta pandectarum florentinarum editio, in qua diligenter peragenda totos decem, aut eo amplius, annos consumpsit. Hinc illæ literæ, quibus Ansovinum Medici, aliosve professores pisano gymnasio comparare quærit: hinc tot illa de pandectarum, de novellarum, de aliorum jurisprudentum opusculorum exemplaribus, quibus eorum litteræ redundant; hinc item nova quædam de typographis, deque rebus aliis tum litterariis, tum politicis, quæ ex eisdem addiscimus. Augustini epistolæ nulla annorum nota signantur, sed manifesto tamen indicant, paullo post ejus reditum a Florentia ipsorum epistolare commercium initium habuisse. Nimirum tribus mensibus anno 1542 Augustinus cum Joanne Metello familiarissimo amico

(a) Præf. ad Miscellanea.

Florentiæ versatus est, ut celebre illud Pandectarum manuscriptum volumen cum edito Haloandri volumine conferret; atque eo tempore Augustinus adolescens tantam sibi benevolentiam Lælii Taurellii adultioris hominis, gravissimisque occupationibus obstricti, conciliavit, ut continua inter eos deinceps, neque unquam intermissa mutuæ amicitiæ consuetudo intercesserit, nesciasque majoremne Augustinus Taurellio, an hic illi reverentiam exhiberet. Mutuis illi se se benevolentiæ officiis devinciebant; Augustinus Taurellio amicum suum Petrum Pontium, Taurellius Augustino generum suum Camillum commendabat. Sua quisque scripta alterius judicio subjiciebat, & uterque libere in eis recensendis amicitiæ, & æquitatis juribus utebatur. Iuvat in mutuis illis epistolis cum libris editis collatis singularem clarissimorum virorum modestiam, ingenuamque libertatem observare. Pleraque eorum, quæ legimus in epistolis adnotata, in editis aut prorsus expuncta aut correcta fuisse videmus, alia contra ad primam scriptoris sententiam candide retenta, & vulgata sunt; quod æque ad utriusque commendationem referendum esse existimamus. Videmus ibi quodam modo ortum quasi ludicrum, & fortuitum illorum librorum, qui omnes juris fontes posteris aperuerunt, quique scholas stupore suspensas tenuere: ibi quemadmodum ex proposita ab Augustino

quæstione libellus Taurellii *de militiis ex casu* procreatus sit, & ipsius notis quodammodo perpolitus: ibi totam, ut ita dicam, genesim editionis Taurellianæ Pandectarum florentinarum fere oculis nostris prosequimur. Quin & suavi quadam animi voluptate laudatissimis Augustini laboribus interesse videmur; quando adolescens cum adolescente Metello Florentiam excurrit, ibique ejusdem ope diu noctuque cum illis pandectis, & cum Politiano, atque Haloandro conflictatur. Ibi tum magnum illud opus *emendationum, atque opinionum* aggreditur; lectiones ab Haloandri editione variantes in tabulas suas refet; legum titulos, auctorum nomina, scripturæ mendas, posteriores correctiones, itemque corruptiones animadvertit, atque unde editionum errores ducti, quinam a græcæ linguæ, quinam a latinæ, quinam ab antiquitatis ignoratione, quinam ab aliis fontibus deriventur, iterato considerat; multa cum Taurellio, nonnulla etiam cum Petro Victorio, omnia cum Metello suo confert, & quæcumque tribus illis mensibus sedulo diligenterque sive legendo, sive colloquendo, sive meditando ad rem suam facientia reperit, omnia confestim in adversariis reponit. Tum eruditis hisce spoliis onustus Bononiam regressus aliquas hinc inde compactas emendationes, aliquas effictas opiniones Antonio Perenotto proponit, alias eo plures ad Michaelem Majum mittit; cumque in-

terea intellexerit propositum Taurellio fuisse Pandectas Florentinas edere, excitatus ab amicis, ut ipse quoque suas emendationes in lucem pubblicam daret, ut suum Læliique in eodem labore eodem tempore opus videretur, lucubrationes suas ad Taurellium misit, ut, si res digna esset in qua elaboraretur, omnibus non solum ineptis, obscuris, ineruditis, & inelegantibus sententiis, sed etiam inusitatis verbis, & scripturæ mendis ab ipso expurgarentur(a). Hinc tot illorum mutuæ epistolæ, correctiones, dubia, de modo, tempore, & loco editionis quæstiones, & demum totius operis editio prodiit, quæ tot jurisprudentiæ lumina præbuit, tantamque Pandectarum Taurellii expectationem excitavit. Nuntiatum Augustino fuit constitutionum item emendationem Taurellium cogitare, neque moratus ille est, quin eidem illico comparationem quandam cum theodosiano codice a se factam ultro deferret. Enim vero non illud efficere poterat Taurellius tot aliis gravissimis curis distentus; ergo aliud opus eodem consilio, ut scilicet legum cognitionem adjuvaret, aggressus est Augustinus. Permultas enim constitutiones, quæ in codice Justiniani desiderantur, quasque ex florentinis, venetisque bibliothecis eruerat, aliisque Romæ repertis auxerat, edere cu-

(a) Ep. 62.

ravit. De quo quidem opere ita Taurellius ad Augustinum scribit: *Cum multis tibi litteris debitor essem, tum aliis innumeris, tum immortali munere constitutionum a te ornatus, cujus jucunditatem quotidie recentiorem experior, quam nec imminuet dies . .. tandem munere tuo perlecto delectatus sum magis, an contristatus? Delectatus quidem mirum in modum, quod multa docte, et eleganter tuo silicet more nobis restituta sunt*(a). . . Ad hæc illud etiam operæ pretium erit observare: Franciscus Lælii Taurellii filius notus abunde est jureconsultis ex Pandectarum Florentinarum editione; sed nobis insuper ex his epistolis tamquam vir optimus & doctissimus innotescit Jacobus Lælii frater, qui nonnullas notas in Augustini libellum *de excusationibus* scripsit, quemque propter eas Augustinus *optimum virum, atque doctissimum* appellat(b), & *in quo amando*, scribit ad Lælium, *non minus me vereberis æmulum, quam is me in amore tuo esse moleste fert*(c). Multo plura ex his litteris excipere lectores poterunt, quorum aliqua nos postea attingemus.

Nunc de Joanne Metello & Augustini, & Taurellii, & Osorii, & bonorum omnium amicissimo ea proferemus, quæ hinc inde poterimus expiscari, plura fortassis quam quæ ab ullo alio dicta sint,

---

(a) Ep. 99. (b) Ep. 72. (c) Ep. 68.

pauciora certe quam quæ nos dicere vellemus. Ejus enim doctrinæ, diligentiæ, modestiæ, probitatis, præstantis ingenii, suavissimæque indolis species in hisce litteris nobis apparet, ut Metellum, quem nunquam vidimus, amare teneamur, eumdemque penitius agnoscere cupiamus. Metellum natione Sequanum fuisse ignorare non possumus, cum vix unquam Joannis Metelli nomen absque Sequani cognomento signatum videamus: sed non pariter civitas, quæ ei ortum dederit, nota est. Conjectura tantum assequi possumus natum Vesontiæ fuisse, cum in epistola ad Augustinum (a) Antonium Perenottum Grandivellanum, qui vesuntinus certe fuit, *civem suum* appellet. Quod vero non e vili popello, neque obscuro ignobilique loco natus fuerit, sed ex ea gente, quæ propriis insignibus decoraretur, illud nobis manifesto declarat, quod ipse ad Lipsium scripsit; nam cum laudarit descriptionem elephantis a Lipsio concinnatam, subjungit. *Sunt autem insignia meæ gentis Elephans, quo etiam nomine mihi perjucunda contigit ea narratio* (b). Patrem habuisse Joannem, fratrem Claudium, propinquum Philibertum jurisconsultum in hisce pariter epistolis legimus. Bononiam vero, quo tunc undique, ut

(a) Ep. 79.

(b) Burman. Sylloge epist. tom. I. ep. LVIII. p. 60

sit Osorius, loci celebritate commoti bene informati adolescentes conveniebant, ad honestas disciplinas uberius excipiendas profectus est, ibique jus civile, cujus studio præcipue deditus erat, aliis præclaris artibus excolebat, & multis dicendi luminibus una cum Augustino ancipites juris quæstiones illustrabat (*a*). Ibi cum Hieronymo Osorio, de quo supra a nobis habitus sermo est, diutissime & conjunctissime vixit: atque hujus causa cum Augustino pariter Osorii amicissimo adeo stricta & pereni consuetudine devinctus fuit, ut ei postea & studiorum, & itinerum, & laborum, & quodam modo etiam gloriæ individuus comes adhæserit. Quæ quidem consuetudo admodum crevit post Osorii in Lusitaniam profectionem, cum quos primum animi sui sensus inter Osorium & Augustinum dividere oportebat, omnes tunc, ut ita dicam, in unum Augustinum contraxerit. Augustinum Florentiam petentem Metellus est comitatus; Augustino in conferendis pandectis, & inaliis græcis libris evolvendis omnem suam operam præbuit; cum Augustino Bononiam regressus præsto illi in omnibus fuit. Patavium inde ad eas scholas frequentandas proficisci voluit; & cnm Ferrariam attigisset nuntiatum ei fuit Claudium fratrem e vita de-

(*a*) De gloria l. I.

cessisse; quem ille non modo fraterna charitate diligebat, sed propter aperta quædam signa judicii, & ingenii vehementer amabat. Venetiis aliquot dies antequam Patavium adiret commoratus est, & de quibusdam græcis interpretibus in Mendozæ bibliotheca extantibus Augustinum certiorem fecit, & reliquorum qui in Marciana latebant indicem misit. Ibidem Egnatium in schola audiebat, & eumdem domi videbat, mirificeque hominis humanitate, urbanitate, & facilitate in docendo delectabatur. Patavium demum appulit, ubi Ansovinum in juris disceptationibus, Joannem Fasolum, & Petrum nescio quem in græca lingua addiscenda magistros habuit. Venetias rursus feriarum tempore rediit, ibique denuo græcos juris peritos in bibliothecis latentes versavit. Vocabatur eo tempore in patriam a Joanne parente, cæterisque propinquis; sed ipse græcæ linguæ toto semestri vacare cupiens, patri suo rescripsit, se, nisi bellorum difficultatibus, & periculis explicatis ad Sequanos redire non posse. Pleraque interea edere cogitabat. Nam IX Kal. martias an: 1543 scribebat ad Augustinum: *est in meo ære compendium* τῆς ἑξαβίβλου. *Antonii Eparchi, cæterorumque judicio usitatissimum in Græcia, quod posteaquam emendatum unum atque alterum exemplar erit, edi fortasse curabo.* (a). Quod compendium a-

---

(a) Ep. 81.

libi ait se impense curare, ut ad librum Antonii Eparchi emendaretur (a). Alium insuper librum exaravit, scribitque ad Augustinum: *commentarium regularum juris brevi cupio edere. Quod te inscio non fiet, ut præfationem cera notes rubra, atque limatulo judicio tuo castiges, quam epistolam ad Philibertum Metellum jurisconsultum propinquum meum mitto* (b).

Eo anno æstivo tempore Augustinus Venetias petiit, ut *emendationum & opinionum* libros typis excudendos curaret, & cum Patavii duos dies cum Metello fuisset ambo Venetias profecti sunt. Ibi Metellus augustinianæ editioni a tyspographi mendis corrigendæ cum Augustino incumbebat; sed morbo adeo longo, & acerbo pressus est, ut Patavium ad debilitatam valetudinem curandam redire, & sex amplius menses cum morbo contendere & a libris suis distrahi coactus fuerit. Post æstivas ferias Ferrariam se contulit ad audiendum Alciatum, qui superiore anno ad ferrariense gymnasium ornandum a duce Hercule vocatus fuerat. Ferraria Florentiam migravit, illud sæpius inculcans se in patriam ad suos Sequanos properare, sed nequaquam se valens ab Augustino aliisque amicis divellere. Cum vero audiisset Augustinum Romam proficisci statuisse,

(a) Ep. 80. (b) Ep. 84.

statim ei itineris comitem se se præbuit. Multo longiori tempore quam antea cogitabat Florentiæ detentus est, ut Taurellii, & Augustini studiis inserviret. Neque id frustra. Nam cum bibliothecas florentinas ea qua solitus erat erudita sagacitate perlustraret, atque, *omnes angulos bibliothecæ mediceæ diligenter inquireret, invenit Cæsaris nostri,* ut ipse ait, *novellas de nostra religione constitutas, ab aliis nondum inspectas* (a): unde pleraque Augustinus ad suam constitutionum græcarum collectionem, & interpretationem sumpsisse, ac proinde operis sui partem laudis Metello deberi fatetur (b). Ibidem etiam reperit alias, quam quæ Politiani fuerunt, græcas institutiones, quas ipse ad Augustinum scripsit *velim vidisses. Sunt enim mea quidem sententia multo emendatiores, quam quæ vulgo circumferuntur* (c). Et fortasse eæ sunt græcæ institutiones, quarum partem in latinum versam inter Augustini opera Lucæ editam anno 1766 videmus (d). Demum versus Kal. apr. anno 1545 Romam ad Augustinum suum profectus est, atque ab ejus latere per totos decem annos nunquam discessit (e), Ut merito Stephanus Pighius Metellum Augustini Thesea appellet (f); aut contra Taurellius Metello suum These-

(a) Ep. 93. (b) Præfat. (c) Ep. 91. (d) Tom. II.
(e) Met. Ep. præfixa Hier. Osorii *de rebus Emm. regis Edit. Colon* (f) In Themide dea.

um accomodet Augustinum, cum ad illum scribit: *Tu quam voles sententiam tueberis, nec tamen sine Theseo, id est, Antonio Augustino, quem tibi tela, quibus hæc monstra conficias, suppeditaturum non dubito* (a). Male habebat Gilbertum Cognatum, Romam Metelli virtutibus parum respondere; sed gaudebat Antonium Augustinum ipsi esse familiarem (b). Nimirum unus Augustinus romanorum omnium instar Metello erat. Augustino non solum Romæ, sed in legatione ad Britanniæ reginam comes semper adhæsit, ex qua demum cum Augustinus Romam rediens in Belgio tantisper constitisset, Metellus inde ad suos sequanos, ad quos tot ante annos vocabatur, reversus est.

Atque hæc profecto ad annum 1555 gesta sunt, ab hoc vero tempore ejus vestigia non ita quidem distincta, sed satis tamen manifesta habemus, quæ persequi valeamus. Illud clare nobis constare videtur, non diu eum apud suos sequanos restitisse, sed alio non multo post commigrasse, & apud Ubios Coloniæ Agrippinæ sedem suam ita fixisse, ut permultos ibi annos ad extremum usque vitæ permanserit. Nam multæ ipsius ad Cassandrum aliosque amicos & amicorum ad ipsum epistolæ anno 1564 datæ eum nobis Coloniæ degentem non quasi advenam & peregrinum paulo ante illuc appulsum, sed tamquam

(a) Ep. 103. (b) Ep. ad Metellum.

incolam jamdiu ibi commorantem ostendunt. Multas jam tum & claras ibi contraxerat amicitias, jamdiu ibidem potiebatur honoraria mercede annua ex cujusdam sacerdotii fructibus ipsi pendenda, quam scilicet eo quidem anno propter decretum quoddam circa honorarias hujusmodi mercedes tunc latum pendendam ipsi negabant (a). Ibidem successivis annis pariter commorantem aliæ item ipsius & aliorum epistolæ declarant. Verum eum interea iterum in Britanniam aliquot post annis rediisse Osorii ad ipsum epistola testis est. Nam quamvis nullam præferat nec diei, nec anni datam, tamen cum scripta sit non modo post editam Osorii epistolam ad Elisabetham, sed etiam post Gualteri Haddoni impugnationem, Osoriique responsionem, quæ quidem in lucem prolata fuit anno 1567, quin & cum jam hæc Osorii responsio in Anglia erat pervulgata, in eamque rursus invehere tentabat Haddonus, ejus epistolæ datam ad annum saltem 1568 referri necesse est. Atque eo tempore Metellus in Anglia jamdiu degebat, ibidemque diutius restiturus esse videbatur (b). Sed inde rursus Coloniam remeavit, ibique ad finem usque suæ vitæ mansisse videtur. Nimirum anno 1574 Coloniæ typis excu-

(a) Ep. ad Cassandrum in Ep. Ill. vir. &c. per Dan. Heinsium. (b) Osor Ep.

dendos curavit Osorii libros *de justitia cælesti*, & cum idem Osorius libros de *rebus Emmanuelis Lusitaniæ Regis* &c. Olysipone anno 1571 edidisset, Metellus antiquæ amicitiæ memor eos iterum Coloniæ excudi curavit, elegantissimisque suis prolegomenis auxit, in quibus multa de se deque suis antiquis sociis commemorat. Tum per tot illos annos usque ad 1596 litteras ab illo Coloniæ datas in Burmanni Sylloge epistolarum videmus; & cum ipsum non multo post libros suos geographicos Coloniæ edentem anno 1600 aut præcedente obiisse sciamus, ibidem vitæ suæ finem posuisse credi par est. Quo tempore cum tot illæ hæreticarum sectarum turbæ universam Germaniam commoverent, Metellus jurisconsultus, & philologus, hæreticorum complurium æque ac catholicorum amicissimus, mitiore ingenio, blandiorique natura tractus, licet in orthodoxa fide retinenda firmiter sibi constiterit, indulgentior tamen quam par erat in heterodoxos videbatur, neque de usu calicis laicis tribuendo, neque de matrimonio presbyterorum, quin neque de Justificatione, de prædestinatione, deque aliis plerisque controversis capitibus admodum laborabat, volebatque potius hæreticorum placita boni ducere, quam omnia ad vivum resecare, sperabatque posse comitate verborum & amica facilitate atque obsequentia superari, qui rationum vi, auctorita-

tis pondere, ac religionis severitate nequaquam se tractos videri patiebantur. Quare infensus erat jesuitis, qui hæreticorum artes noscentes eos acriter urgebant; & quamvis adeo amicus Osorio esset, non tamen ejus agendi rationem in libris de *justitia cælesti* probabat, & *vellem*, scribebat ad Aschamum, *eum moderatius cum hostibus, quos sibi delegit, agere, ac potius in philosophicis argumentis, quam in theologicis, quæ sane sunt invidiosa, versari* (a).

Metellus Patavii & Florentiæ adolescens quædam ad jurisprudentiam spectantia, uti supra diximus, edere cogitabat, ea vero aliquando perfecisse non constat: neqne postea in ejus epistolis videmus eum jurisprudentiæ studiis, quibus tantopere in adolescentia erat intentus, vehementius incubuisse. Quæ vero novimus ab ipso prodiisse opera diversi sunt generis, neque sedulum in eo jurisprudentiæ studium ostendunt. Antiquitatis amator quin fuerit, nefas est dubitare; qui enim poterat tot annos familiariter cum Augustino versatus, Pantaghati, Ursini, Panvinii, cœterorumque Augnstini amicorum amicus, a studiis antiquitatis abhorrere? Porro antiquitatis studiosum se prodit in litteris, cum scribit ad Cassandrum, se Eugubium adiisse, ut eu-

(a) In Ep. Roger. Aschami.

gubinas tabulas inviseret, alteramque earum sibi describi fecisse, atque inde Perusium ad alia antiquitatis monumenta exquirenda transiisse, quin & multos post annos, Coloniæ cum esset, a Stephano Pighio de hujusmodi rebus fuisse consultum (a). Gruterus plerasque incriptiones ex Joanne Metello refert, & in indice tum eorum qui scriptis publicis, tum eorum qui privatis opem collectioni suæ tulerunt, Metellum enumerat. De libro Metelli antiquas inscriptiones continente mentio fit ab Augustino in epistola ad Panvinium: *Del Virbiale ho un pezzo d'iscrizione del libro di Metello* (b). Nos vero non alium novimus Metelli librum, quam exemplar quoddam inscriptionum a Mazochio editarum a Metello plurimis in locis emendatum, in aliis adeo auctum, ut liber Metelli potius quam Mazochii dici queat. Gruterus in præfatione hunc librum satis aperte indicat, cum locupletatum se dicit a Gutensteuio iis inscriptionibus, *quas aliquando*, inquit, *Joannes Metalius Metellus, amicus noster non e multis, dum fata deusque sinebant; ad ipsos lapides Romæ industrie deformaverat, adleveratque codici, cui epigrammata sua crediderat Mazochius.* Hunc librum luculentius mihi descripsit Cajetanus

(a) Sylloge Ep. &c. a P. Burmanno tom. II.
(b) Lett. 38.

Marinius, utpote qui eum in bibliotheca vaticana adhuc extantem sæpe manibus oculisque versavit; mazochianumque exemplar ait fuisse, quo utebatur Augustinus, quodque hic Metello donavit, multas ibi legi mazochianas inscriptiones a Metello & Augustino emendatas, plurimas denuo additas a Metello, adjunctamque ab eodem brevem quamdam de mazochianæ collectionis authore disquisitionem. Quæ omnia manifesto declarant Metellum antiquitatis studia coluisse, seseque in eis illustrandis exercuisse. Sed animum insuper ad alia attendisse, & historicis præcipue ac geographicis elucubrationibus adhibuisse, monumenta ab ipso posteritati tradita testantur. Nam ex quo anno 1574 longa illa prolegomena ad Antonium Augustinum inscripta elaboravit, quibus novam Osorii librorum *de rebus gestis Emmanuelis* editionem Coloniæ anno 1575 evulgatam adornavit, in quibus multa de se, suisque amicis, multa de Lusitanis, hispanisque, eorumque navigationibus præfatus est, nunquam destitit a geographicis historicisque rebus investigandis & illustrandis. Siquidem paulo post anno 1576 *tractatum* ibidem edidit *de navigationibus lusitanorum*, uti refert Alphonsus Lasor a Varea in opere suo: *universus terrarum orbis scriptorum calamo delineatus* (a). Et

(a) Tom. II. p. 22 Patavii 1713.

cum rursus anno 1580 novam Osorii librorum editionem moliretur, eadem prolegomena recognovit, & non paucis additionibus auxit. Sic enim in operis fronte ad editionem anno 1586 evulgatam iscriptum legitur: *item Joannis Metalii Metelli Sequani J. C. in eosdem libros præfatio, & commentarius de reperta ab hispanis & Lusitanis in Occidentis & Orientis Indiam navigatione. deque populorum ejus vita moribus ac ritibus, ad Antonium Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem. Omnia jam recognita & emendata ... Kal. Quintilis* 1580. Lasor a Varea in præfato libro pleraque alia opera geographica Metelli commemorat; nimirum *Joannes Metellus de novis insulis & de novo orbe* (a); tum *Metalii Metelli Germania superior* 38 *tab. Col.* 1598 *in fol.* (b); tum etiam *Joannis Metalii vel Metelli, seu rectius Nicolai Valagagnonii* (seu potius *Villagagnonii*) *Africa ad artis geograficæ regulas tabulis æri incisis descripta, historicarum rerum veste exornata. Francofurti* 1619 *fol.* (c). Præter hæc omnia, quæ singularia, ut itadicam, geographiæ capita respiciunt, navigationes scilicet lusitanorum & hispanorum, novas insulas, novumque orbem, Germaniam superiorem, & Africam, prout nempe ex Nicolai Villagagnonii libro *de Caroli Imperatoris expeditione*

(a) Tom. II. p. 36. (b) Tom. I. p. 443. (c) Tom. I. p. 22.

in Africam eam demprompserat, alia edidit Metellus quæ universum terrarum orbem amplectuntur. Joannes Vogt in *Catalogo librorum rariorum* refert *Joannis Metalii Metelli Africam Ursellis* 1600. *fol* & *Americam Coloniæ* 1600 *fol.* Et quod majus est Fridericus Gottifredus Freytag in *Analectis de libris rarioribus* enumerat (a) *Joannis Metalii Metelli Speculum Orbis terræ, seu tabulæ geographicæ totius Orbis cum historica narratione ab ipso authore inchoatæ, quo moriente ab alio quodam perfectæ & editæ sunt Ursellis & Col. An.* 1600. 1602. IV *tomi in fol.* Ea quæ in hujusce operis titulo leviter indicantur, clarius exponuntur in titulo exemplaris *Americæ* quod penes se habebat Vogt, ubi hæc verba legebantur: *Joannes Metalius Metellus Sequanus J. C. vir doctrina præstans, longioreque vita dignissimus, Orbis universi tabulas historico amictu ornare statuerat, sciens historiam nunquam satis laudatæ artis geographicæ esse oculum. Ornavit itaque historicarum rerum veste aliquot tabulas, quæ ipso adhuc in vivis agente typis excusæ sunt, multoque cum fructu leguntur. Ingravescente autem ætate, morboque quo sublatus est, lampadem amico tradidit, cujus cura Europæ Asiæ & Africæ ante hac tabulis editis nunc quoque accedunt Americæ sive no-*

(a) pag 596.

vi Orbis tabulæ. Quæ omnia multa de Metello nos docent, nempe usque ad annum 1600 vitam duxisse, & usque ad extremum vitæ suæ terminum geographicis historicisque studiis deditum fuisse; tum etiam ingentia illius volumina non semel tantum typis excusa, sed ea tamen inter rariores libros a paucis visos esse referenda, nec potuisse Metellum quæsitam magnis doctisque operibus nominis sui celebritatem longe ad posteros propagare. Notior ille nobis est ex suis & amicorum suorum epistolis, quarum aliquas Daniel Heinsius edidit, alias item P. Burmannus, aliæ sparsim inter aliorum epistolas reperiuntur; sed fere omnes posteriora tempora ab anno 1564 usque ad 1594 respiciunt, cum ille variis regionibus peragratis, ab Augustino, Osorio, Taurellio, antiquisque illis sapientibus religiosisque amicis distractus, novis amicitiis obstrictus, a reformationis ecclesiasticæ innovationibus non alienus, aliquantulum a prima sui ingenii lenitate, animique candore descivisse videbatur. Nos contra in hisce epistolis eumdem adolescentem, jurisprudentiæ studiis ardentem, bene de se meritis gratum, doctorum hominum observantissimum, carum amicis, omnibus officiosum intuebimur, jucundioresque spero fore lectoribus has litteras, quæ cum ejus eloquentiam, & eruditionem, tum comitatem, ingenii lenitatem, & officiositatem quasi ob oculos

nobis sistunt. Quod si laudari a laudatis viris præclara laus est; quodnam pulchrius honoris testimonium desiderare queat Metellus, quam quod eidem in his litteris ab Augustino, ab Osorio, a Taurellio, ab Arlenio, viris laudatissimis, ultro copioseque tribuitur? Nimis multa fortasse verba fecimus de Metello; sed nobis facile veniam dandam putamus, si de viro Augustini amicissimo, studiorum socio, itinerum comite, & intima familiaritate conjuncto, sermonem tenere nequivimus, quominus aliquantulum modum excederet.

Notus abunde est Petrus Victorius, cujus duæ ad Augustinum epistolæ inter alias ejusdem epistolas editæ leguntur. Nos hic unam tantum habemus cum ea qua Augustinus quæsitis suis respondit. Et vero ab eo tempore quo Florentiam adiit ad illud pandectarum exemplum examinandum, summam cum Victorio contraxit familiaritatis, & benevolentiæ consuetudinem, & sæpe in epistolis ad Taurellium non sine aliqua amicitiæ significatione Victorii meminit, & sæpius in utriusque scriptis & ab Augustino Victorium et a Victorio Augustinum honoris causa nominatos videmus. Facile enim erat & celer Augustini ingenium, seseque ad omnia vertebat, neque minus erat criticus & philologus cum Victorio, quam jurisperitus cum Taurellio, & antiquarius, uti mox videbimus, cum Panvinio. Quantumvis utraque hæc epistola edita alibi sit, nos hic

rursus eas recudi voluimus, ut pote quæ eruditis lectoribus vel decies repetitæ placituræ videantur.

Leviusculæ sunt, parumque litterariæ frugis afferunt duæ epistolæ Arnoldi Arlenii ad Augustinum, quæ in hoc volumine continentur; sed eæ tamen, & ad ampliorem quamdam Arlenii, ejusdemque cum Augustino & cum Metello conjunctionis notitiam aliquantulum conferent, & in summa Arlenii scriptorum penuria argumento esse nobis poterunt non temere a Cælio Calcagnino ejus epistolarem elegantiam laudatam (a), meritoque a Petro Victorio & ab aliis sui temporis cl. viris assertum, virum esse bene doctum Arlenium, semperque in studiis honestarum artium versatum (b). Quod illi nomen, quæ patria nemo, quod sciam, clarius Thuano nobis indicavit. Hic enim sic ait in sua historia (c): *Arnoldus Arlenius in Campinia Atuaticorum regione trans Diesam amnem, qui Silvam, seu Boscum ducis alluit, vico ignobili natus, indeque nomine ingeniose ab ipso effìcto Peraxylus nuncupatus.* En ergo Arnoldum belgam fuisse, non cimbrum, quod Augustinus addubitavit, eumdemque non *perafixum* ut in Augustini vita Lucæ edita legimus (d), sed peraxylum, quasi trans lignum seu silvam, scilicet *Bois le Duc*, natum, græcum sibi cognomen

(a) Ep. Lib. XIII. p. 184. (b) Ep. I. Lib, V. p. 115.
(c) Lib. XXVIII. (d) Op. T. II. p. XXII.

apposuisse. De illius anno natali, & de prima ejusdem adolescentia parum constat, verum ineunte sæculo XVI eum natum Franciscus Floridus Sabinus quodammodo indicat, cum anno 1538 sæpius illum juvenem dicat, sed eum juvenem qui jam utriusque linguæ maxime esset peritus, & cujus eruditioni tantum ipse deferret, ut illum scriptorum suorum censorem elegerit. Arlenium ante annum 1534, aut saltem sub ejus initium, in Italiam advenisse, atque aliquod hic librarium commercium exercuisse, ex Cœlii Calcagnini litteris deprehendimus. Hic enim nonis Februariis anni 1535 ad Arlenium scribens, cum in ejus ad Barbulejum litteris *genus dicendi lene, & suapte natura profluens, geniumque animi ad omnes homines promerendos factum* spectari dixerit, *ob id*, subjungit, *cum ego te antea de una aut altera salutatione amarem, mox videns quam officiose ac liberaliter cum Barbulejo ageres, cæpi te habere carissimum ... summa igitur fiducia ex eo tempore opera tua uti non destiti, quam ita promptam & expositam semper inveni, ut vix unquam rogare, sæpe gratias agere oportuerit* (a). Quod satis aperte declarat fuisse Arlenium jamdiu ante illud tempus Calcagnino notum, ipsique in libris suppeditandis deserviisse, ut proinde multo ante in Italiam eum advenisse credere par

(a). Epist. Lib. XIII.

sit. Eo tempore Romam peragrasse, & febre quartana laborasse ex ejusdem litteris a Calcagnino indicatis agnovimus, ut pote quæ eum incolumen ab urbe, & a quartana restitutum Barbulejo nuntiarent (a). Eidem *librorum supellectilem ex Galliis & Germania convectam esse*, scribit VIII Cal. apr. 1536 Calcagninus (a). Ad eumdem item idibus Januariis 1537, & sæpe alias litteras dat (b), omnes vero de re libraria, omnesque ab anno 1535 ad 1537 scriptas. Quo tempore Arlenium Bononiæ degisse, illud probare potest, quod cum Calcagninus pecuniam illi pro coemtis libris solvebat, ad bononiensę numisma numerabat (c).

Ibi vero non arti bibliopolicæ, sed liberalibus disciplinis vacantem nobis ostendit Franciscus Floridus Sabinus, qui anno 1538 ita de Arlenio loquitur, ut bene sibi cognitus, longaque secum familiaritate conjunctus fuisse videatur. Nam initio ejus anni Februario nempe mense in *Apologia in linguæ latinæ calumniatores* cardinali carpensi dicata *maximam*, ait, *de se expectationem sustinet Arnoldus Arlenius Peraxylus, utriusque linguæ maxime peritus, & candidissimi judicii juvenis*. Tum in dialogo, cui titulum *De Caji Julii Cæsaris præstantia* apposuit, eidemque cardinali mense Novembri e-

(a) Lib. XVI. (b) Lib. XIII. (c) Lib. XIII. p. 172 XVI. p. 215.

jusdem anni nuncupavit, suas partes Arlenio tribuit, atque ita incipit: *superiori anno, qui fuit Christi natali septimus ac trigesimus post millesimum quingentesimumque... venerunt ad me ejus diei initio Arnoldus Arlenius Peraxylus, candidissimi judicii juvenis, cujus ego eruditioni tantum defero, ut meorum scriptorum (quæcumque ea sunt) illum censorem elegerim: Riccardusque Scelejus britannus &tc.* Eosque post modum veluti diligenter in historia versatos iterum iterumque laudat. Quæ Floridi de Arlenio testimonia recte cum Calcagnini testimoniis conveniunt, Arleniumque nobis juvenem candidissimi judicii, utriusque linguæ peritissimum, in historiis maxime versatum, magnamque de se expectationem sustinentem exhibent, sed neque verbum ullum de aliqua ejusdem bibliopolica taberna, aut arte libraria faciunt. Quare dicendum putamus Arlenium studiosum adolescentem extra patriam profectum, per varias Germaniæ atque Italiæ urbes pervagatum, aliquam tantummodo librorum negotiationem ad sua litterarum studia commodius persequenda exercuisse, non vero, uti Tiraboschius, Calcagnini epistolis unice ductus existimabat (a) professione bibliopolam & quidem celebrem bibiliopo-

(a) St. della lett. it. T. VII. par. I. lib. I.

lam fuisse. Bandinius in vita Petri Victorii, quam epistolis clarorum virorum ad ipsum Victorium præmisit, inter egregios ejusdem discipulos, qui forte magistrum superarent, Arnoldum Arlenium enumerat. Verum quo tempore sub Victorii disciplina fuerit Arlenius, difficile dictu est. Nam Victorius non ante annum 1538 humanioribus litteris docendis a Cosimo præfectus fuit, tunc vero jamdiu Arlenius eam in utraque lingua, & in liberalibus disciplinis præstantiam assecutus fuerat, quam in Victorii schola quærere poterat. Nisi forte Victorii fama permotus voluerit tamen ad eum audiendum, novosque eruditionis manipulos ex ejus schola colligendos, Florentiam eo tempore accurrere; cujus vero neque in ipsius Victorii epistolis, neque alibi, quod noverim, ullum indicium extat.

Verum Arlenii nominis fama non tam a bononiensibus aut florentinis scholis, quam a Mendozæ bibliotheca repetenda est, cum librario illius famulatui in græcis codicibus excribendis addictus plurimis & italis & exteris litteratis cognoscendum se præbuit. Tunc porro quo tempore Mendozianæ bibliothecæ inserviit, clarorum hominum amicitias sibi conciliavit, Metelli, Augustini, Taurellii, Gesneri, aliorumqne complurium. Metellus sæpe de eo loquitur in his epistolis ad Augustinum, ejusque

laudat in græcis litteris studium, & doctrinam (a). Plura de eo dicit Augustinus; sic enim Taurellio scribit: *ille vero, qui te de Roberto alloeutus est, Arnoldus Arlenius dicitur: an Cimber; an Belga, nescio. cæsarianus quidem certe, & probus, & utriusque linguæ valde peritus: ejus opera utitur Venetiis Jacobus Mendoza legatus Cesaris in describendis quamplurimis græcis libris* (b). Et rursus alibi eumdem virum esse ait *& probitate morum, & eruditione non vulgari* (c). Ad Osorium pariter scribens Arlenium vocat *optimum virum, & utriusque linguæ cum primis peritum, & Phileni, Metellique valde familiarem* (d). Eum Mendoza in contubernio suo valde amanter fovebat, uti a Gesnero assertum supra vidimus. Carissimum, sibique conjunctissimum a Mendoza habitum testatur aperte in hisce litteris Metellus. Nam cum Mendoza ad Grandivellanum anno 1543 proficisci debuisset, Arlenium sibi comitem habere voluit (e). Cum vero anno 1545 expeditionem quamdam librariorum græcorum ad græcos codices describendos Florentiam misisset, eidem Arlenium præfecit (f). Arleniusque apud Mendozam multis negotiis, et occupationibus distinebatur. Quod item argumento esse nobis poterit, Arlenium, si quidem alicui librorum negotiationi

(a) Ep. 77 (b) Ep. 65 (c) Ep. 71 (d) Ep. 46 (e) Ep. 80 (f) Ep 93.

ad commodius victitandum quandoque incubuit, non proinde bibliopolicæ arti addictum fuisse. Nam qui non uno alterove die, sed per plures continuos annos in librario famulatu Mendozæ totus erat, qui ipsum in suis itineribus comitabatur, quique crebris itationibus huc illuc ad domini sui nutum cursitare debebat, næ illi parum temporis ad bibliopolicam officinam administrandam superesse poterat. Alio scilicet mentem ille suam curasque omnes convertebat. Audiamus id a Conrado Gesnero *in Bibliotheca universali* Liguri anno 1545 edita. *Arnoldus*, ait, *Peraxylus Arlenius, vir in juvenili ætate mature doctus, agit adhuc, ni fallor, in contubernio nobilissimi viri D. Diegi Hurtadi a Mendoza Cæsareæ Majestatis apud Venetos Legati, singulare decus & columen rei litterariæ, de omni studiorum & sapientiæ genere quam optime meritus, dum veteres auctores, græcos præcipue, passim in Italiæ bibliothecis veluti sepultos, diligenter inquisitos eruit, eosque in lucem, atque usum mortalium restituit. Plurimum autem ut istud efficiat excellentissimi D. Legati auctoritate juvatur. . . . Expectamus autem ab Arlenio nostro, si Deus vitam extenderit, quosdam ex Plutarcho de moribus commentarios a nemime adhuc conversos, Dionis Coccæi Romanæ historiæ libros duos et viginti in latinum sermonem pure traductos, Olimpiodori,*

magni philosophi platonici & peripatetici commentarios ad Aristotelis Meteora, ex sacris Chrysostomi, Theodoreti, & aliorum hactenus non visas pulcherrimas tum conciones, tum commentarios, & orationes. Ad hæc decrevit edere quasdam ad Lactantium Firmianum parecbolas, ex quibus & veterum nugacem superstitionem & vanitatem refellere, & nostra ut longe certiora et veriora adstruere attentat . . . Atque hæc Gesnerus.

Nimirum hos spiritus alebat Arlenius dum *a Mendoza in contubernio suo valde amanter fovebatur*, dum Mendozæ *benignitate, beneficaque gratificandi voluntate* ad magna quæque excitabatur, dum Mendoza bibliotecam suam *non solum utendam, verùm etiam excutiendam & perscrutandam ei concesserat ea lege, ut quidquid publici commodi adipiscendi causa impressioni subjiciendum existimaret communi utilitati offerendum curaret*. Tunc porro Josephum Flavium Basileæ edidit, & sic Mendozam præfatus fuit: *Qua quidem in re ne in publicis augendis commodis grati animi benevolentiam mihi defuisse jure quis objicere possit, neve tam propensam animi tui benignitatem, beneficamque gratificandi voluntatem illustri gratia non excepisse viderer, operæ pretium me facturum existimavi, si ex egregia tua bibliotheca, quam multis, & iis quidem insignibus in omni disciplinarum ge-*

nere scriptoribus habes instructissimam, *alios quidem alias*, *nunc Flavium Josephum clarissimum & præstantissimum historicum quasi flosculum ex amænissimo quodam horto delibarem*. Ibidem etiam prolaturum se ex eadem bibliotheca pollicetur Philonis judæi opera, *cujus*, inquit, *disertissimi viri eruditionem et elegantiam*, *artisque magnitudinem tum cognoscent litterati homines*, *ubi octo & quadraginta diversorum argumentorum libros ex tua bibliotheca protulerimus*. Atque utinam protulisset, aut dedisset saltem eorum 48. librorum titulos, haberemus fortasse nunc aliquod Philonis opusculum, quod inter deperdita numeratur, aut jacet ignotum. Neque id solum, sed cum extaret in eadem bibliotheca sub Josephi nomine commentarius περὶ τῆς τοῦ παντὸς αἰτίας, quem jam tum multi non ad Josephum, sed ad Cajum presbyterum referebant, Arnoldus eum edere cogitabat: *nos autem*, inquit, *eumdem*, *qualemcumque propediem*, *uti spero*, *cum studiosis communicabimus*. Hæc & pleraque alia animo agitabat Arlenius dum inter Mendozæ libros versabatur, verum cum ab eis recessit, & patroni sui ope fuit destitutus, nihil horum præstare potuit, & paucos, uti nunc dicemus, eruditionis suæ fructus nobis reliquit. Quanto tempore apud Mendozam commoratus fuerit, compertum nobis non est; sed remur tamen eum tum solummodo fuisse dimis-

sum, cum Mendoza legationem venetam dimittere, aut eam cum tridentina partiri a rege suo Carolo jusssus fuit. Si quidem anno 1545 adhuc ad Mendozæ jussa græcorum scriptorum expeditioni ad græcos codices describendos præfectus Florentiæ degebat, ut ex Metelli, & ipsius Arnoldi litteris ad Augustinum videmus(a); & cum Arnoldus ad ejus anni finem xv. Kalendas januarias Venetiis ad Augustinum scriberet, nihil adhuc ei, quem & sui & Mendozæ amicissimum familiariter fidenterque colebat, de suo inde abitu, aut a Mendozæ famulatu discessione significavit. Verum cum anno 1546 Mendoza ad tridentinum concilium proficisci, & regis sui nomine interesse debuit, tum pariter Arlenius Mendozam, Mendozæque bibiliotecam deserere coactus fuit, neque potuit præclara opera, quæ animo moliebatur, perficere.

Thuanus eum dicit *ad Basileam amænissimum litteratorum secessum se contulisse, ubi industriam per aliquot annos exercuit, & Henrici Stephani opera feliciter usus est*(b). Quam vera ea sint, non audeo pronuntiare, scimus profecto anno 1546 Basileæ Arnoldo Arlenio Peraxylo curante Lycophronem cum Tzetzæ commentariis lucem vidisse, sed non proinde opus fuit, ut Arnoldus Basileam abiret,

(a) Ep. 93 (b) Libr. XXVII.

sicut Basileæ pariter Josephum Flavium edendum curaverat, cum ipse Venetiis apud Mendozam commoraretur. Ibi vero per aliquot annos industriam exercere non potuit, quem paulo post Ferrariæ, inde Florentiæ degentem videbimus. Neque facile intellectu est, quo pacto opera Henrici Stephani adhuc adolescentuli, tum sub patre Roberto Parisiis litterarum & artis typographicæ studia colentis, feliciter usus fuerit. Quidquid de his sit a Thuano assertis, Arlenium paulo post Ferrariam advenisse, ibique jam anno 1547 aut saltem sub sequentis initium cum Lilio Gregorio Gyraldo familiari consuetudine conjunctum fuisse, testis nobis est ipse Gyraldus in dialogo de *poetis sui temporis*, qui eo anno 1548 tempore nuptiarum Annæ Atestinæ habitus fuisse dicitur. Ibi enim alter ex interlocutoribus Andreas Gruntherus de germanis suis & gallis sermonem faciens, ita de Arlenio loquitur: *noster quoque Arnoldus Arlenius hanc poeticam lauream adeptus fuisset, si huic viæ insistere voluisset, ut ejus græca & latina quædam epigrammata facile ostendunt, & non potius de soluto sermone palmam ferre voluisset; quod tu, Lili, plane testari potes, qui ejus consuetudine frueris.* Ex quibus Gruntheri verbis duo nobis sunt animadvertenda, alterum scilicet, quod modo dicimus, Arlenium aliquo jam tempore ante eum diem Ferrariam coluisse, ut nota

res esset tum eum Lilii consuetudine frui; alterum vero eundem latina & græca carmina panxisse, sed in soluto sermone magis elaborasse, licet nulla aut soluti aut ligati sermonis monumenta ad nos pervenerint. Quam justus vero & acutus fuerit & ligati, & soluti sermonis, & latinorum, & græcorum carminum existimator, testes sese exhibent Franciscus Floridus, qui se dicit illum scriptorum suorum censorem elegisse (a); Robortellus, qui Oden græcam a se compositam ei dicans; *Odem*, inquit, *quam græce me cum Musis oblectans scripsi, ad te mitto, ut legas, quidque de ea sentias libere, ut soles, & familiariter ad me scribas velim* (b); & alii, qui eidem pariter sua carmina nuncupabant.

Sed quam vanæ & incertæ humanarum rerum sortes haberi debent! Vir ille græce & latine peritissimus, qui latinis, græcisque epigrammatibus clarescebat, poetices laurea dignus, doctissimorum scriptorum censor, & semper in studiis honestarum artium versatus, Ferraria, uti credi par est, Florentiam migrare necessitate coactus fuit, ut typographicis operis Laurentii Torrentini præfectus vitam quodammodo agere posset. Et cum aliquot ibi duxisset annos, quin meliorem unquam conditionem obtinere posset, necesse illi fuit solum vertere; &

(a) De Caji Jul. Cæs. præstantia (b) Miscellan. edit. Flor. 1548.

cum Torrentinus a Duce Sabaudiæ Emmanuele Philiberto in Montisregalis academiam anno 1564 vocatus fuerit, ut ibi typograficam officinam instrueret, Arlenius sive *ut rem litterariam in libris excudendis*, quemadmodum ait Joannes Baptista Gyraldus *juvaret* (a), sive, uti magis verisimile est, ut haberet quo victitaret, eodem pariter appulit. Arlenium Florentia abeuntem comitatus est P. Victorius honorificentissimis litteris ad Joannem Baptistam Gyraldum datis, in quibus præter alia multa in Arlenii laudem hæc ait: *est profecto ille vir probus ac bene doctus, semperque in studiis honestarum artium versatus: habet autem hic honestissimos homines, qui valde carum ipsum habent, & fortunas ejus ornare conati sunt, aut saltem tantum illi commodi procurare, ut vivere apud nos posset mediocriter, vel potius victitare, nec tamen efficere unquam potuere quod studuere, malo, ut arbitror, fato hujus viri. Est sane ille ei curæ, cui præpositus istic est, valde idoneus, & in ipsa plurimum exercitatus; majora tamem ab eo nisi fallor, expectari poterant, uberioresque fructus ex ingenio, & eruditione ipsius capi* (b). Quibus verbis illud, quod supra diximus, confirmatur, eum nempe typograficis Torrentini operis Florentiæ præfuisse.

(a) Cl. Vir. ad P. Vict. Ep. T. I. p. 105 (b) Epist. lib. V. p. 123.

Liceat hic item nobis animadvertere, quam dispar fuerit Mendozæ, & honestissimorum florentinorum natura. Ille enim per multos annos, donec Venetias deserere coactus fuit, Arlenium *in contubernio suo valde amanter fovit & opulente*, magnificeque curavit, tot illi autem honestissimi homines, qui ejus fortunas ornare Florentiæ conabantur, aut saltem tantum illi commodi procurare, ut vivere apud eos posset mediocriter, vel potius victitare, ne id quidem assequi potuerunt. Pudeat ergo Gallutium, aliosque Etruriæ historiæ scriptores obgannire in generosum mecænatem Mendozam, studeantque potius illum in doctis hominibus liberaliter habendis imitari, quam ejus severitatem persæpe necessariam, & malis querulorum artibus quandoque provocatam, virulente criminari. Sed ad Arlenium revertamur. Præfuit ille enim vero Monteregali typographicæ Torrentini officinæ, imo cum eo tempore fato cederet Torrentinus, non solum totius officinæ administrationem, sed & familiæ curam in se recepit. Verum non ei lætior sors oborta est apud pedemontanos, quam illuxerat apud florentinos. Nam quæ pacta a societate civium Montis regalis, ipsiusque ducis Emmanuelis Philiberti cum Torrentino, & post ejus obitum cum ejusdem hæredibus inita fuerant, numquam servata sunt, neque scutata viginti, quæ ad singulos menses per tres annos a

Philiberto fuerant promissa, soluta unquam fuerunt; & omnia proinde pessum ivere, periit typographica officina, Torrentini hæredes, & una cum ipsis Arlenius gemebant ære alieno oppressi, & Arlenius, tanquam hæredum Torrentini curator, cuncta hæc sigillatim in libello supplice Philiberto anno 1571 exposuit, cui is ad nutum respondit. Atque hæc quidem omnia constant ex monumentis a cl. Vernazza Tiraboschio comunicatis (a). Verum quid horum, quæ a Philiberto rescripta sunt, deinceps adimpletum, quid inde de Arlenio, deque Torrentini hæredibus actum sit, nobis ignotum est. Illud unice ex his omnibus, quæ modo sunt exposita, asserere nobis posse videmur, Arnoldo Arlenio, ex quo Venetiis & a Mendozæ famulatu discessit, obscuratos fuisse dies, qui sereni, lætique per tot annos illi diluxerant, & quæ prius illi secunda fortuna arridere videbatur, in contrariam prorsus fuisse conversam. Atque hæc quidem dicere habuimus de Arlenio viro parum noto, sed ab Augustino, a Metello, a Mendoza, a Calcagnino, a Florido, ab utroque Gyraldo, a Victorio, a doctis hominibus, qui eum norunt, magni habito, de quo frequens in hoc epistolarum volumine mentio fit, & cujus item duæ epistolæ referuntur.

(a) St. della lett. it. T. IX. p. 142.

Unam tantummodo hic habemus Andreæ Alciati, sed eam quæ nobis auro pretiosior esse debeat, ut pote quæ Alciati epistola sit, neque uspiam edita, nec vero etiam ab ullo cognita, & plura contineat ad majorem Alciati notitiam pertinentia, quæ observatu digna videantur. Ibi enim videmus non ei displicuisse bononiensem commorationem, libenterque eo fuisse rediturum, si a gymnasii præfectis fuisset revocatus; *verum illis placuit potius ad Socinum properare, quod ego, ait, in bonam partem acipio*. Ibi quoque tacito quodam modo ab ea incostantiæ nota, quam ipsi a multis impactam scimus, se se purgare contendit. *Tædet me*, inquit, *ut verum tibi fatear, tam frequentis mutationis; etsi enim coactus præceptis Cæsaris, Bononia relicta, Ticinum adierim, deinde bellorum tempestatibus compulsus huc venerim, erunt tamen qui me ceu vagum & erronem incostantiæ arguent; nec enim omnes sciunt migrationis causas*. Illud etiam observare licet, Alciatum cum Hercule Ferrariæ Duce ab biennium convenisse, ut in eo gymnasio jus publice doceret, cum tamen decrevisse ibi sedem figere, neque ullam deinceps mutationem facere, donec dux Hercules opera sua uti voluerit; quod tamen aliter postea evenisse notum est. Illud insuper & ex hac Alciati ad Augustinum epistola, & ex alia Augustini ad Taurellium (60) addiscimus,

quod non video ab aliis Alciati biographis memoratum, Alciatum nempe ab Etruriæ duce Cosimo sequestre Taurellio ad pisanum gymnasium fuisse invitatum; deque ea re & Augustinum ad ipsum scripsisse, & affatum eum fuisse Cortum nuntium amicum suum.

Atque hæ quidem sunt latinæ epistolæ, quæ in parvo hoc codice continentur, sed his etiam tres alias ex bibliothecæ vaticanæ codicibus depromtas addidit Marinius, quibus dono suo cumulum posuit. Prima est ex codice 6243 pag. 144 ad Latinum Latinium Ilerdæ VII Idus sextiles an. 1566 data. Latinus Latinius viterbiensis, vir ejus sæculi magno eruditionis sacræ, & profanæ nomine commendatus, unus fuit e societate litteraria, sive academia, quam in suis ædibus fovebat Augustinus, & quo flos delibutus romanæ litteraturæ confluebat. Ibi enim Fulvius Ursinus, Onuphrius Panvinius, Levinus Torrentius, Octavius Pantagathus, Franciscus Turrianus, Gabriel Faernus, Joannes Metellus, aliique complures eruditi homines convenientes *de urbis Romæ antiquitatibus*, ut ait Andreas Schottus, *inscriptionibus, numismatis, rerum gestarum memoria, & scriptoribus antiquis græcis, atque latinis, omnique adeo philologia, & interioribus litteris disserebant*. Quæ quidem Augustini societas facile observatu est quantum præstaret tot illis romanis aca-

demiis tantopere a Tiraboschio laudatis, quæ omnes, una semper excepta Vaticana D. Caroli Borromæi, versibus, & parvæ frugis sermonibus erant intentæ, & omnes demum in risus & jocos, & vero etiam dicteria, in pocula, & cœnas, & quandoque etiam in helluationes, & crapulas, & ebrietates recidebant, ut ex his quæ ab ipso Tiraboschio narrantur nimis aperte patet (a). Atque in ea quidem severiori Augustini academia frequens erat Latinius, & familiaris inter eum, & Augustinum intercedebat consuetudo: sed Latinius nescio qua animi timiditate epistolare commercium identidem intermittebat. Cumque ad ilerdensis ecclesiæ clavum sederet Augustinus, diuturno tempore a scribendo abstinuit, veritus, ut ipse ajebat, ne forte eum a pastoralibus curis illis litteris distraheret. Vicit demum amicitia, nec diutius ferre potuit adeo grati, atque eruditi commercii desiderium. Sic enim ei respondet Augustinus IV Idus Junias anno 1566: *Grata mihi fuit & commemoratio officiorum tuorum, quorum mihi perpetua hæreat memoria necesse est, nisi ingratissimus esse velim, & excusatio intermissionis tuarum litterarum, quæ me magis ad officium meum diligentius exsequendum adhortatæ fuissent, ut tanto talique amico placerem;*

(a) St. lett. Tom. VII. par. I. lib. I. Cap. IV.

quam deterrerent, ullumque impedimentum afferrent. Quare si vivit apud te, ut scribis, nostra benevolentiæ recordatio, fac in hoc quoque appareat, ut sæpius ad me scribas(a). Atque his Augustini verbis excitatus Latinius alias illico litteras iterum mittit. In famulatu, seu in familiaritate potius apud tres cardinales fuerat Latinius, cardinalis a Puteo a secretis per decem annos usque ad ejus mortem, quæ anno 1563 illum sustulit, inde anno 1564 cardinalis Rodulphi Pii a bibliotheca, qui post paucos menses e vivis excessit, demum adscriptus fuit inter domesticos cardinalis Ranutii Farnesii, qui pariter eodem anno mortuus est. Fatale cardinalibus videbatur Latinii ministerium, neque ullus proinde erat, qui eum ad se vocare vellet. Quare cogitabat ille urbis splendorem deserere, in patriam remeare, Viterbiique angustiis inclusum latere. Rescripsit illi idcirco Augustinus VII Idus sextiles anno 1566 ea epistola, cujus nobis Marinius copiam fecit, quamque nos in hoc libro referemus. *Non libenter*, inquit, *legi quod iis litteris, quas postridie nonas Julias dedisti, scriptum est, te cogi rerum tuarum angustiis in patria potius, quam in urbe vitam agere. Nunquam putaram in Pii pontificatu, in quo omnes docti, probique viri plu-*

(a) Aug. Ep. T. VIII. p. 503, ed. Luc.

rimum posse putantur, tibi non solum aditus ad honores interclusos esse, sed ne de victu quidem & conditione solita spem, urgente præsertim doctissimo Sirleto cardinale, aliquam esse. Orta erat eo tempore controversia illa de binis comitiis romanorum tantopere inter Sigonium, & Gruchium exagitata; statimque Latinius eam retulit ad Augustinum. Scripserat nimirum commentaria de romanorum comitiis Nicolaus Gruchius rotomagensis, doctus vir in primis, & græcis, latinisque litteris eruditus. Sed cum paulo post Carolus Sigonius Gruchio sane non inferior doctrina, celebritate autem nominis longe superior, universum jus antiquum romanorum duobus libris explicaret, a Gruchio in binorum comitiorum, & legis curiatæ ratione exponenda discessit. Respondit Sigonio Gruchius(a), nec stetit responsioni Sigonius, sed posteriorem edidit *de binis comitiis, & lege curiata* cum Gruchio *disputationem*. Tunc enim vero cum animos incalescere, & eruditorum hominum aures arrigi videret Latinius, rem ad Augustinum retulit, Ilerdæ in suo episcopatu degentem, & longe ab his quæstionibus remotum. Quare ei respondet Augustinus: *Quæ de Gruchii, & Sigonii contentione de binis comitiis scribis nondum legi; scire cupio quid sit, quidque tu, & Octavius noster de ea re sentiatis*. Longius

(a) Responsio ad binas Sigonii reprehensiones.

prolata est controversia, & Gruchius denuo *refutationem ad posteriorem Sigonii disputationem* vulgavit, & Sigonius iterum scripsit *de lege curiata magistratuum, & imperatorum; & eorum jure*. Urgebat interea Augustinum Latinius ut de ea quæstione sententiam suam proferret, eamque proinde licet gravioribus curis districtus tulit in posteriori alia epistola, quæ inter editas in *Anecdotis romanis*, & tomo VIII Augustini operum legitur. *Non possum*, inquit, *tibi negare quod a me tantopere efflagitas, ut ad te scribam, quid sentiam de controversia Sigonii nostri cum Gruchio de binis comitiis, & lege curiata. Est illa quidem ab utroque docte & eleganter, quodque mihi vehementer placuit, modeste satis tractata; sed in neutrius opinione acquiesco*. Latinius item non tam in hanc quæstionem, quam in plura verba, & particulas totius operis tum Sigonii de antiquo jure civium romanorum, tun Gruchii de romanorum comitiis suas observationes scripsit, quæ in præfatione ad primum tomum *Antiquitatum romanarum* Joannis Georgii Grævii positæ sunt.

Altera est epistola Augustini ad Hieronymum fratrem, quam suo libro *de legibus, & senatus consultis* præfigi volebat, quæque ex vaticano codice 6231 deprompta est. Erat Hieronymus fratrum omnium primus, ordinis S. Jacobi Eques, & in Cathalonia præfectus, qui Annam Urriensem ex nobi-

lioribus Aragoniæ familiis uxorem habuit, a quo, tanquam defuncti patris vices agente, missus fuit Bononiam Antonius, & cui hic semper veluti patri obsequutus est. Hujus epistolæ pars maxima edita primum fuit a Majansio in Augustini vita, tota vero postmodum in tomo VII ipsius operum editionis lucensis inter alias ejusdem epistolas in lucem prodiit. Nos tamen modo, uti eam a Marinio accepimus, rursus hic proferemus.

Tertia demum ex his, quas ex vaticana bibliotheca(a) depromsit Marinius, ad Gervinum Calenium scripta est. Gervinus Calenius, juris, ut ajunt, licentiatus, & catholicæ fidei addictissimus, atque idem typographus diligentissimus, magnam conciliorum collectionem a Laurentio Surio docto carthusiano paratam typis suis vulgavit anno 1567. Verum cum Surius, & ab aliis, & a se ipso admonitus, intellexisset complura illi editioni deesse dignissima quæ in lucem proferrentur; ad Antonium Augustinum scripsit V idus martias anno 1575, ardenti se desiderio urgeri, ut a Calenio ederentur græca, & latina concilia, quæ apud ipsum Augustinum, & Garsiam Loaisam canonicum toletanum extarent, & impense rogavit, ut & ipse, & Loaisa latinam editionem Calenio deferrent, græcam Rovillio. Existimabat enim Surius quidpiam

(a) Ex cod. 6531. pag. 117.

jam ea super re esse a Rovillio cum Augustino transactum. Cui Surii epistolæ alia satis longa, nec ad modum blanda, rescripsit Augustinus, quæ in tomo VII editionis Lucensis vulgata fuit, quæque post tot conciliorum editiones, tantaque industria elaboratas, dignissima tamen est quæ legatur. Affirmatum, ait, a Garsia Loaisa, surianam editionem conciliorum semper fere magis mendosam esse, quam reliquas; neque dissimilem Romæ fuisse querelam de Surio, deque caleniana editione conciliorum inter eos, qui in Gratiano mendis expurgando laborabant; a se ipso etiam inventa fuisse quædam, quæ in aliis editionibus melius conscripta in illa fuissent mutata; hæc tamen eum non movere, quominus, Surio auctore vel duce vel comite, Calenio uteretur; atque inde statim quæ ipsi viderentur mutanda, quæ addenda, quæ in meliorem ordinem redigenda, ingenue docteque, uti solitus erat, exposuit. Hæc ab Augustino Ilerdæ nonis Septembris anni 1575 scripta sunt, nihilque tum his ejus monitis, & pollicitationibus confectum fuisse videmus. Sed tamen haud multo post idibus martiis anni 1580 Calenius ipse ad Augustinum litteras dedit, quibus certiorem eum faceret consilii sui in edendis iterum conciliis, videbaturque aliquanto mollius accipere quod ad Surium scripserat Augustinus, ut nempe græca simul cum latinis ederen-

tur. Hisce Caleniii litteris respondet hæc Augustini epistola, quæ nunc primum in lucem prodit, quæque ordinem, quem Augustinus existimat in conciliis edendis esse servandum, clarius exponit. Quare licet, ut supra diximus, edita jam prius fuerit Augustini epistola ad Surium, eam tamen hic iterum cum hac ad Calenium data proferemus, cum altera alteri lucem mutuo præbere valeat; cum quibus insuper una legere juvabit XXV italicam ad Panvinium, in qua jam ab anno 1558 idem saxum versare, eamdemque de edendorum conciliorum methodo sententiam fovisse videmus. Atque hæ omnes epistolæ latinæ sunt, omnes nobis a Marinii comitate liberali amicoque dono datæ, libetque nobis ejus largitatem sæpius commemorare, & gratias eidem iterum iterumque agere, & semper habere, quandoquidem, quod maxime vellemus, referre nequimus. Succedunt italicæ aliæ, quas nos, uti supra diximus, ex aliis bibliothecis excerpsimus.

Ampla quidem, & valde frugifera messis nobis exhibetur in Augustini epistolis ad Onuphrium Panvinium, omnes enim & romanæ, & ecclesiasticæ antiquitatis monumentis, & penitiore eruditione redundant, & multa nobis argumenta suppeditant, quibus & Panvinii, & Augustini, & generatim eorum temporum historia illustretur. Ac prima quidem cum data sit Romæ XVI Januarii anno 1557, missa-

que Parmam ad Panvinium in ædibus cardinalis Farnesii(a), significetque jamdiu Panvinium Parmam venisse, in eaque & ægrotasse, & convaluisse, & plures litteras scripsisse, manifesto declarat, Panvinium jam ab anno 1556, quo tempore vix annum ætatis XXVI agebat, singulari quodam eruditionis nomine claruisse, & a cardinali Farnesio in domum suam receptum, Parmam cum eo venisse. Frequens illis temporibus usus erat, ut facile regularium ordinum sodales extra monastica claustra, & nonnulli etiam monastica veste deposita, vagarentur, atque adeo frequens, ut nescias pluresne intra an extra domesticos parietes numerari possent. Alii enim, ut inquit Paulus IV, *quod beneficium ecclesiasticum curatum consecuti sint; alii quod extra regularia ordinis sui loca standi, & alicui beneficio ecclesiastico deserviendi a suis Superioribus licentiam habeant; & alii diversis aliis confictis coloribus; alii vero nullo suffulti prætextu . . . extra claustra suorum regularium locorum degunt, & in sæculo aliqui habitu sui ordinis retento, aliqui illo abjecto in habitu presbyterorum sæcularium & complures in habitu laicali temere vagantur*. In his Basilius Zanchius canonicus regularis, & Octavius

(a) Al Rever. Padre Onofrio Panvino da frat. car. nel palazzo dell' Illustriss. Cardinale Farnese a Parma.

Pantagathus e servorum Mariæ ordine, & plures alii litterati, clarissimique homines numerabantur. In his item erat Panvinius, qui hanc veniam a superioribus obtinuerat, ut liberius, commodiusque studiis litterarum posset incumbere, quique tamen religiosam vestem nunquam deposuit. Huic malo ut mederetur summus pontifex Paulus IV, decretum seu *bullam* tulit contra religiosos professos extra claustra religionum vagantes, & apostatas, eorumque fautores. Hæc quidem non nisi XIII. Kal. Aug. anno 1558 lata fuit, sed diu antea, uti fieri solet, hujusce pontificiæ voluntatis rumor percrebruerat, & Parmam usque ad Panvinii aures pervenerat; quare jam inde ab initio anni 1557 scrupulis agitatus Augustinum consuluit, quidnam sibi consilii capiendum foret. Vaga tantummodo fama tunc erat de futuro pontificio decreto, neque quid statueret, neque quibus verbis constaret innotuerat; quare Augustinus ad communia juris præcepta tantummodo animadvertens, secundum ea respondit, & Panvinium ab omni timore solvit. Verum tamen cum postea Venetias adierit, antequam bulla Pontificis ederetur, ipse sese ad S. Stephani sui ordinis monasterium ultro recepit. Promulgata demum est XIII Kal. Aug. bulla Pauli IV, qua nullus benigniori interpretationi locus relictus est; nam omnes universim quacumque de causa extra monaste-

ria degentes ad ea redire, nulla admissa excusatione, jussit; *id vero*, uti ait Panvinius[a], *tanta adhibita severitate fecit, ut non ita subito obtemperantes, veluti detrectantes imperium, satellitum custodiis adhibitis, tota ecclesiastica ditione in vincula, & aliquot in triremes conjecit*. Nihil inde detrimenti cepit Panvinius, ut pote qui pontificis imperium non modo non detractarat, sed anteverterat. Degebat ille in S. Stephani monasterio, ubi noctes transigebat, interdiu vero ad cardinalis mensam accumbebat. *Dormite pur in chiostro*, scribebat Augustinus, & *andate a tavola dell' Ill.mo senza scrupolo*[b]. Octavius Pantagathus principio quidem cardinalis Jacobi Putei, decreti verba diligentissime interpretantis, auctoritate fretus, uti refert Latinus Latinius, acquievit, sibique licere omnino putavit *& extra sodalium suorum contubernium vivere, & monasterii olim sibi commendati fructibus pro suo jure frui*[c]; sed postea voluntate pontificis diligentius explorata, ultro se claustris S. Mariæ in via, seu S. Marcelli sepsit, ibique lætus hilarisque tranquillo, & quieto animo reliquum vitæ suæ tempus religiose transegit. Qui verò non illico decreto pontificis obtemperabant, gravioribus pœnis

---

(a) In vita Pauli IV. (b) Lett. 43.
(c) Ep. ad And. Masium XI Kal. Sept. an. 1558.

subdebantur. Inter quos Basilius Zanchius, ejusque frater in molis Hadriani carceribus detinebantur; alii ad remiges damnabantur. Sic enim scribit Augustinus III Sep. *Non ho altro che dirvi se non che Don Basilio e suo fratello sono in Castello. P. Ottavio nel suo monastero di S. Maria in Via. Gli altri condannati a galere*(a). Plurimi quin etiam sive quod nollent, sive quod vere quidem non possent ad propria monasteria redire, iram tamen pontificis timerent, Venetias abibant, *in quam civitatem*, uti narrat Spondanus(b), *triginta eorum millia confugisse dicuntur*. Quo majorem laudem meretur Panvinius, qui & Venetiis, & antequam pontificis acerbitatem extimescere deberet, sponte se in S. Stephani monasterium receperat.

Panvinium nescio quam profectionem in Galliam Avenionem usque cogitasse, multaque inde in rem litterariam bona Augustinum speravisse, ex hujus epistolis addiscimus (c); eam vero fuisse confectam, non legimus. Germanicum iter sæpe sæpius cogitavit, tandem nescio quo trabium negotii titulo, aliisque de causis anno 1559 executus est, neque Venetias inde, aut Parmam, sed Romam litterariis Germaniæ spoliis onustus remeavit (d). Plura item novimus de litterariis Panvinii, & Augustini

(a) Lett. 40. (b) Ad an. 1559. (c) Lett. 8. 15.
(d) Lett. 45. 49.

operibus, quæ nobis aliunde non constabant. Quantum Panvinius in iis inquirendis imperatoribus, eorumque aut filiis, & filiabus, aut sororibus, aut uxoribus, qui divi vel divæ titulo ab antiquis donati fuere, studii curarumque insumpserit, quamtumque adjumenti ab Augustino acceperit, passim in hisce litteris apparet; & licet quo abierint tot illæ perlustrationes, & quid de tot illis monumentis ab eo collectis actum sit, prorsus ignoramus, dubitare tamen non possumus, quin magnum aliquod opus ea de re moliretur. Diligenti avidoque studio multa quæ illustrium Hispaniæ familiarum titulos, stemmata, & prærogativas, totamque hispanam nobilitatem spectant, persecutum fuisse Panvinium, in Augustini epistolis passim video, quid ille hisce investigationibus egerit, nusquam video. Nam nonnulla profecto ad Cardinalium historiam ornandam referri valent, alia fortasse illi operi, quod de imperatoribus romanis latinis & græcis, deque his qui supremum in Italia imperium habuere, gothis, longobardis, francis, germanis, hispanis, aliisque gentibus, & earum genealogiis illis temporibus Basileæ edidit, inservire potuere; plurima tamen sunt, quæ nihil ad hæc, quorumque nullus in his quæ novimus ejus operibus usus apparet, sed quæ aliud quoddam opus desiderare videbantur, quod aut prorsus non fuit per-

actum, aut obscurum ineditumque adhuc latet. Alia etiam de dedicationibus templorum omnium, arcuum, statuarum, & coronarum meditatum fuisse Panvinium, testem habemus Augustinum, qui eidem ita scribit: *della dedicazione di tutti i tempi, archi, statue, e corone fareste bene a scrivere; specialmente poichè in questi v' è certe lettere che appartengono a dedicazione* ec. (a). Nimirum scribebat ille eo tempore de fastis, & in suis commentariis de iis, deque aliis plurima agitabat, quæ conferebat cum Augustino; multa item illi aut corrigenda aut mutanda aut adjicenda Augustinus suggerebat. Quod pariter circa librum de summis pontificibus, & cardinalibus sæpissime præstitisse in cunctis fere epistolis videmus; nosque eam tantummodo adjectionem memorabimus, quam illi de cardinalibus carcere detentis, de damnatis, de occisis faciendam proponit. *Potreste fare un' addizione bella di tutti i cardinali fatti prigione, ovvero condannati, o ammazzati* (b). Quot quantaque pro fastorum libris aurea munera a patrono suo cardinali Farnesio, ab Hispaniarum rege Philippo II, & ab imperatore Ferdinando obtinuerit, quam multa & in his, & in libris de cardinalibus æqui rerum æstimatores laudanda, quam multa item reprehen-

(a) Lett. 22. 26. al (b) Lett. 8.

denda repperetint, quam sæpe illum juvenili ardore præcipiti quandoque cursu se se ferentem viri docti, maturiorisque judicii amici compescere curarint, & præ cæteris Angelus Massarellus Telesinus Episcopus, qui & ipse multa de cardiualibus commentus fuerat, quique illi frequenter italicum carmen occinebat: *andate adagio, e non correte in fretta;* plura alia insuper circa has aliasque Panvinii elucubrationes, earumque editiones, circa litem quamdam seu contentionem cum editore Jacobo Strada, & anecdota alia complura libeat in ipsis Augustini litteris perpendere, nobis indicasse sufficiat. Quæ Panvinius de rebus veronensibus scripsit post ejus tantummodo mortem, & vero multo post, in lucem prolata sunt, ipsum vero jam ab anno 1559 eis manum adhibuisse, Augustini litteræ eo anno scriptæ testantur, ubi sic ait: *desidero che vi fate onore nelle cose di Verona patria vostra* (*a*). Liceat item extrema verba harum litterarum referre, ut pote quæ nobis Panvinium exhibent annales ecclesiasticos scribentem, & cum centuriatoribus magdeburgensibus manus conserentem anno 1567, aut paululum eo prius: siquidem die XI Aprilis illius anni ita scribit: *ho inteso, che siete alle mani con le centurie de' lute-*

(*a*) Lett. 50.

vani, portatevi da valent' uomo come siete, e metteteli i piedi sotto, che sono canaglia; se vorrete, che vi ajuti in qualche cosa, avvisatemi (a). Nimirum jam a Marcelli II, seu potius a cardinalis Cervini tempore, ejus sive imperio, sive amico nutu, antiquitatum romanarum studium cum studio ecclesiasticarum commutare coactus fuit; sed fortassis præposterus Marcelli obitus hocce Panvinii studium retardavit, tantumque per hæc tempora, aut paulo antea, annalibus ecclesiasticis, quorum sex volumina absoluta jam, & fere perfecta reliquit, manum admovisse videtur. Neque enim credi fas est, tantum Panvinii opus tanto tempore Augustinum ejusdem amicissimum latuisse. Panvinium aliquam edere conciliorum collectionem cogitasse nonnulla Augustini epistolarum loca indicare videntur, tum maxime cum ei scribit: *sopra lo stampar concilj ho pensato di scrivere al nostro arcivescovo fra Bartolomeo di Miranda, che jeri fu fatto di Toledo, il quale fece una gran fatica di Somma di Concilj; forse farà la spesa a stamparli in greco e latino, ed io posso servirvi con molti specialmente l' universali* (b). Et vero hanc conciliorum editionem diu multumque meditatum fuisse Augustinum, & cum aliis etiam sæpius versasse,

(a) Lett. 55. (b) Lett. 24.

tum hæ epistolæ præsertim XXV, tum illæ, quas supra commemoravimus ad Surium, & ad Calenium, tnm alia ejus operum loca manifesto declarant. Quam multa pariter de P. Octavio Pantagatho, atque aliis eorum temporum eruditis hominibus, quantam antiquariæ eruditionis messem, quænam de Hispaniæ proceribus, quos *magnates* appellant, & generatim de hispana nobilitate, quid de re bibliographica, quid de grammatica & critica colligi ex hisce epistolis queat, facile noscent, qui eas eruditis oculis, attentoque animo legent. Hisce quinquaginta quatuor epistolis ex mediolanensi codice erutis aliam adjungimus, quæ in *Anecdotis romanis*, & in VIII volumine oper. Ant. Augustini edita est, ut plenius constantem Augustini cum Pauvinio amicitiæ consuetudinem perspiciamus.

Tres tantummodo, neque admodum ad rem litterariam pertinentes sunt epistolæ Augustini ad Carolum Gualterutium; non tamen nullius pretii videri debent, cum ad historiam pontificiam illustrandam nonnihil conferre valeant. Non parum inter litteratos notus est hic Carolus Gualterutius, licet ipse non in his, sed potius in forensibus, aut curialibus nomen suum professus fuerit: nos aliquam ejus notitiam ex doctorum hominum scriptis hauriemus, ut constet non obscuram, aut minus hoc loco dignam Gualterutii memoriam esse debere. Or-

tus ille fuit ex Fanensi urbe in Umbria; & licet natalem ejus diem ignoremus, conjectura tamen percipere possumus ad extremum sæculi XV, aut saltem ad initium XVI esse natum, cum jam anno 1525 ipsius opera coalitus, editusqne Bononiæ sit liber cui titulus: *le cento novelle antiche*, & quod majus est, jam tum inter claros litteratos locum occupare mereretur. Habita enim eo anno fuit Bononiæ solemnis disputatio a Nicolao quodam florentino, eamque postea eleganter descripsit poeta Casius, cumque honoris causa clarissimos viros, qui ei disputationi interfuere, nominaret, Joannem Baptistam Pium, Franciscum Mariam Molzam, Julium Camillum, Romulum Amasæum, Lazarum Bonamicum, Achillem Bocchium, aliosque his similes homines eruditos, inter eos etiam enumerat Carolum Gualterutium. Verum parum illi, uti plerisque aliis, hac via ad commodiorem victum adquirendum processisse, ac proinde ad aliam ineundam deflexisse videtur. Nam iam ab anno 1528 romanæ curiæ rebus agendis operam impendens & officiorum gratia, & diligenti muneris fide illustrium virorum amicitiam sibi conciliarat. Perquam familiariter, & amice 21 jan. anni 1529 ei scribit Petrus Bembus & plurimas repetitis verbis atque sententiis iterum iterumque agit gratias pro negotiis quibusdam & suis, & alienis in romana curia ejus o-

pera expeditis. Commendat 21 Junii 1530 protonotario de Rubeis Gualterutium, & plurimis laudum honorisque verbis eum appellat: *il nostro buon, & gentile & cortese & da me niente meno di fratello amato messer Carlo Gualterucci da Fano*, eique tantum debere se ait, quantum referre numquam se posse speret. *Io vi fo intendere le obbligazioni, che io a messer Carlo ho essere tante e tali, che non posso in questa mia raccomandazione così diligente essere & così caldo, ch'egli non meriti ch'io molto più sia: nè potrò giammai in alcuna sua bisogna così affezionatamente operarmi, com'egli in tutte le mie si travaglia sempre*. Quæ omnia eo dicta velim, ut appareat, quot, quantaque officia jam ante illum annum Bembo præstiterit Gualterutius. Scriptorem pœnitentiariæ tum illum fuisse, videmus in Bembi epistola eo anno ad ipsum hisce verbis inscripta: *al molto onorato messer Carlo Gualterucci da Fano scrittore della penitenziaria*. Hæc familiaris Bembi cum Gualterutio necessitudo arctius in dies obstricta est, ejusque manifestum habemus testimonium tum in epistola ad Joannem Baptistam Ramusium, qua eum obsecrat, ut cum Jovitam Rapitium filio suo magistrum adlegerit, in ejusdem disciplinam in filii sui societate Gualterutii filium admitti patiatur (*a*); tum in altera ad ipsum

(*a*) *Lettere Vol. II. lib. III. Oper. T. III.* Libet audire ejus verba, quæ cum nimis longa sint, hic ad paginæ calcem ad-

Jovitam Rapitium, qua ei Galterutii filium vehementer commendat (a). Egregia profecto Bembi charitatis, & benevolentiæ signa, sed quibus tamen paria retulit Gualterutius; nam & perpetuam Bembo toto ejus vitæ tempore observantiam servavit, atque etiam post obitum se se ei memorem, gratumque præbuit, & omnia ejus scripta diligenter collegit, atque edenda curavit, uti in Bembi vita testatum voluit Ludovicus Beccadellius, Gualterutio pariter intima familiaritate conjunctus (b). Qua de re hæc ait Galeatius Roscius in epistola nuncupatoria ad Ranutium Farnesium idibus Septembris anni

---

ducimus: *Ora perchè io amo messer Carlo Gualterucci da Fano quanto amico ch' io abbia, e quanto dovete sapere, ho pensato che una delle cose più care, ch' io possa fare a suo beneficio è d' ajutarlo a bene instituire i suoi figliuoli, a che egli attende sopra ogni altra cosa, e perciò avendone egli tra gli altri uno della medesima età ch' è il vostro* (is erat Horatius de quo Augustinus in epistola tertia ad Gualterutium), *e molto inclinato alle lettere e modesto e quieto tanto quanto altro figliuolo io abbia mai conosciuto, oltre che ha fatto notabile progresso nell' imparare per l' età sua, ho voluto pregarvi con tutto l' affetto del mio animo, che per amor mio siate contento riceverlo in cotesta compagnia sotto la disciplina del detto messer Jovita, nè voglio che voi di ciò sentiate spesa alcuna, anzi piuttosto comodità . . . Non vi so pregare più efficacemente che dirvi che io desidero questo da voi per un mio figliuolo questo di messer Carlo . . .*

(a) Fam. epist. lib. VI. ep. ult. ed. Basil. 1567.

(b) Vita del cardinal Bembo.

1552 data, libris epistolarum familiarium ipsius Bembi præfixa: *hæc cum Carolus Gualterutius vir & officiosus & prudens recte perspiceret; post Petri Bembi interitum ut mortui laudem, quem tantopere vivum amarat, ab omni hominum silentio atque oblivione vindicaret, nulli sumtui, vel labori parcens, omne suum studium, omnem mentem & cogitationem in illius doctissimis atque ornatissimis lucubrationibus edendis defixit, & præter cætera quæ jam & latino & etrusco sermone conscripta in hominum conspectum lucemque protulit, multas, quibus ille latine cum suis familiaribus agebat, summa diligentia collectas litteras nunc in medium proferre, & sub tuo potissimum nomine edere constituit*. Gualterutio tribuitur ab Apostolo Zeno & a Mazucchellio commentarium de Bembi vita absque auctoris nomine editum, quod tamen non levi conjectura ei abnuit Morandius (*a*). Neque leviora ea erant amicitiæ officia, quæ Beccadellium inter & Gualterutium intercedebant. Nihil fere movebat, agebatque Beccadellius, quod non cum Gualterutio communicaret, & Bembi vitam, & alia sua scripta persæpe illius judicio submittebat. Quin & Beneventi, uti dicunt, *commendam*, qua Beccadellius fruebatur, in Gorum Gualterutii filium transfe-

(*a*) In adnot. ad Beccadellii monumenta.

rendam curavit. Quanti Carolum Gualterutium fecerit Paulus Manutius, quamque ei se gratum præbuerit, satis apparet in epistola Manutii ad illius filium Ugolinum, quæ in Miscellaneis quibusdam Venetiis edita est. *Patris tui causa*, inquit, *optimi hominis & officiosissimi omnia cupio, atque etiam omnia debeo: me enim semper amavit amore non vulgari, tantaque est humanitate complexus Romæ dum fui, quantum si obliviscerer homo non essem* (a). Nec levioribus honoris & amicitiæ significationibus ad Gualterutium aut de Gualterutio scribunt Romulus Amasæus, Casa, Quirinus, aliique complures viri doctissimi. Atque is quidem est Carolus Gualterutius, ad quem magnis complurium & nobilissimorum & doctissimorum hominum amicitiis clarescentem datæ sunt tres Augustini epistolæ, duæ scilicet Panormi, altera die novembris 1559 conclavis tempore, altera XVIII Januarii 1560, cum pontifex creatus fuerat Pius IV, tertia vero Tridenti XXII Octobris 1561, dum iterum ad concilium patres cogebantur, & nondum plusquam quadraginta convenerant. Habes hic omnes Augustini epistolas latinas, & italicas, quas modo in lucem proferimus, plures daturi, si in manus nostras advenerint. Ex his vero si quæ ad res ejus temporis

(a) *Miscellanea di varie operette*. In Venezia presso Tommaso Bettinelli 1742.

penitius inspiciendas, quæ ad ampliorem virorum illustrium cognitionem obtinendam, quæ ad historiam litterariam, & vero etiam civilem illustrandam, quæ ad plura juris romani, & totius antiquitatis capita explananda, quæ ad omnem eruditionem amplificandam conferre valent, explicare velimus, quem exitum orationi nostræ invenire poterimus? Pauca quædam leviter delibabimus, ut lectorum animi attentius ad earum lectionem arrigantur.

Et primum quidem quod attinet ad ipsius Augustini vitæ historiam cum multa passim in singulis litteris reperiantur, ea tantum quæ certas illius vitæ epochas spectant breviter indicabimus. Pervenerat Augustinus Bononiam ad extremum anni 1535, ibique totum deinceps 1536, hiememque, verque totum sequentis anni scholis illis frequentandis insumpsit. Sed eo tempore Petrus Parisius Romam a supremo pontifice vocatus bononiensem academiam fere orbam reliquit. De Alciato incerta res erat. Ergo Augustinus interea illo autumno Patavium petiit, ubi octo novemve menses Marianum Socinum ad jurisprudentiam, Lazarum Bonamicum, & Joannem Faseolum ad latinarum græcarumque litterarum studia præceptores audivit; & post idus Junias Patavium deseruit, Bononiamque XIV Kal. quintiles anni 1538 regressus est (a). Nondum ille In hispa-

(a) Epist. 8.

norum collegium S. Clementis cooptatus erat, habitabatque apud Herculem quemdam poetam, quem falso in quadam epistola Annibalem appellavit (a). Sed non diu stetit, quin quod optabat assequeretur; & IV idus januarias Joanni Soræ scribebat: *quoniam Collegarum memini, me cooptandum esse quam primum scias velim* (b). Profecto die 27 Januarii anni 1539 collegarum numero nobilem doctumque virum Antonium Augustinum adscriptum fuisse, in Collegii tabularium relatum est (c). Quos ille magistros, & qua de re agentes audierit, & ad Faseolum, & ad Soram, & ad Vasquium sæpe scribit (d). Eo anno autumnalium feriarum tempore Venetias Mendozæ salutandi causa profectus est, ac deinde epistolare ipsius cum Mendoza commercium, X nempe Kalendas Octobres, initium sumpsit. Scholis frequentandis assiduus erat, & doctoribus audiendis totam hiemem operam dedit; sed cum eos adversa valetudo unum aut alterum mensem interpellarit, nonnihil illi majoris otii relictum est, & cum sub initium anni 1540 Isabellæ suæ sororis cum Cardonensi Duce nuptiæ confectæ fuissent, placuit ipsi nuptiale carmen ad Catulli imitationem com-

(a) Epist. 31 32. (b) Epist. 22.
(c) Carta que escriviò el colegio mayor de S. Clemente de Bolonia a D. Gregorio Mayans etc.
(d) Epist. 11. al.

ponere, quod XVI. Kal. Majas ad Mendozam misit, ipsiusque judicio subjecit(a). Tum paullo post studiorum suorum graviorum indicem misit dialogum primum eorum, quos quinque *de variis & difficillimis rebus juris civilis conscripsit*(b): *qua exercitatione*, ut ipse ait, *ita oblectabatur, ut scholas ipsas neglexerit*(c). Nimirum hauriebat ille maximam voluptatem, cum laborem, quem in jure civili & pontificio ediscendo suscipiebat, cum humanioribus studiis condiebat, cum & græcas litteras amplexabatur, &, Tullio authore, stilum in latinis exercebat(d). Versibus quoque mire delectabatur, atque, uti supra diximus, nuptiale carmen in sororis Elisabethæ nuptiis conscripserat, & modo nescio quid poeticarum nugarum ad Faseolum misit(e). Et paullo post ad Hieronymum Osorium epistolam versibus scripsit(f), & nonnulla insuper etiam num extant ipsius carmina typis vulgata, quæ poeticum ejus ingenium declarant. Joannes Metellus aliam quamdam Augustini commentationem, tullianorum nempe verborum indicem, commemorat, quam tamen ipse non probat(g). Eodem tempore ad res Collegii sui illustrandas animum convertebat, sicque ad Joannem Soram VI Kalendas Junias scribebat: *Vides me in Collegium esse totum, & ut vere dicas*,

(a) Epist. 4. (b) Epist. 5. (c) Epist. 25. (d) Epist. 15. (e) Ibid. (f) Epist. 44. (g) Epist. 76.

illud etiam te scire volo, cogitare me eorum qui apud nos unquam vixerint vitas uno libello comprehendere. Qua in re quoniam Epilensis tui (S. Petri de Arbues) *mentionem fieri, atque adeo caput ipsius sit, oportet, me velim juves iis rebus, quas istic dum vixit egit, & quæ Deus ejus consecrati animi signa dederit; idque cum consule & die, ut apud nostros libros est, mors præsertim ejus indignissima. Huc accedet, si velis, Cæsaraugustanorum, quos tu hic fuisse audisti, nomina, mores, mors, & dignitas*(a). Anno 1541 tertio nonas Junias juris utriusque lauream, quam jam pridem in salmanticensi academia obtinuerat, a bononiensi pariter reportavit(b).

Qua quidem honoris consecutione tantum ille a studiorum ardore extinguendo abfuit, ut eo vehementius exarserit; factusque sui compos ad majora animum erexit, memorandumque illud suum iter florentinum, Metello comite, accuratamque pandectarum collationem, doctumque illud opus *emendationum & opinionum*, quod omnes Europæ academias fama sui nominis implevit, aggressus est. Satis de eo nobis supradictum est, & plura etiam dicentur postmodum, nunc tantum ex hiscc litteris editionis tempora diligentius adnotabimus, ut pote

(a) Epist. 23. (b) Epist. 25.

a qua Augustini nostri gloriam initium duxisse dicendum est. Anno igitur 1543 cum opus hocce suum absolvisset, Taurellioque recensendum misisset, & nonnulla etiam hujus, fratrisque Jacobi monitis emendasset, paratumque jam ad editionem haberet, propositum ipsi fuit romanis typographis illud committere, ipse vero Romæ Venetias prætulit, quo posset amici Metelli, Arleniique ope typographicæ correctioni aptius attendere. Metellus Gabrielem Jolitum editioni conficiendæ proponebat (a). Taurellius interim rem omnem cum Junctis transigebat (b). Venetias ergo Augustinus ante kalendas Junias profectus ipsis kalendis Thomam Junctam ad se vocavit, qui pactis illico conventis absque ulla temporis mora editionem inchoavit. Sed cum id fieri cæptum esset, Metellus morbo correptus fuit, ipse vero Cremonam, uti supra diximus, post idus Junias ire coactus, rem totam Arlenio tradidit, cumque Cremonæ, & Buxeti, & Bononiæ totum fere mensem consumserit, idibus quintilibus Venetias regressus est, ibique denuo & typographicæ emendationi, & librorum lectioni apud Mendozam, & Justiniani Novellis Constitutionibus, & pontificiis regulis cum vulgaribus conferendis attendebat (c). Completa enim vero editio fuit idibus Septembris, & postri-

(a) Epist. 83. Epist. 94. (b) Epist. 47. 72. (c) Ep. 47. 72.

die statim absque ulla temporis mora exemplum Taurellio misit. Restitit ille tamen paulisper Venetiis fere usque ad idus Octobris, ut quosdam græcos libros, quorum ibi copiam habebat; sedulo attenteque perlegeret, describique curaret constitutiones omnes, & pontificales aliquot regulas, & quæ Eusebius de Constantini legibus edidit (a); tum item S. Dionysii Areopagitæ opera cum venetis exemplaribus contulit, ut Francisci Turriani voluntati obsecundaret (b), & tertio idus Octobris Bononiam rediit. Quare tribus illis mensibus ab idibus quintilibus usque ad idus Octobris tot illos græcos libros legit, cum vulgaribus contulit, interioresque eorum recessus discussit, qui non sine longa multorum annorum, & vero etiam totius vitæ lectione ab aliis excurri posse viderentur. Quo tempore ortæ ipsi sunt multarum elucubrationum, quas postea perfecit, cogitationes. *Est enim nunc in manibus*, scribebat ille ad Osorium idibus quintilibus anni 1544, *græcarum legum Justiniani, quas* νεαρὰς *appellavit, emendatio, atque interpretatio. Quod opus, si mihi otioso esse licebit, tres hos menses, absolvetur. Est etiam juris pontificii exornatio nescio quæ, quam post romanæ bibliothecæ libros aliquot lectos, ut desidero, si per litigiorum*

(a) Epist. Metelli 84. (b) Turriani Epist. Dedic.

pericula licebit, quæ nobis impendent, condiscipulis nostris daturi sumus(a). Quæ omnia magis distincte explicat in epistola ad Taurellium scripta XIII. Kal. Novembres(b), quam legi necesse est, non modo ut manifestius pateat quot quantaque ad jurisprudentiæ tum civilis tum ecclesiasticæ dignitatem, & ornamentum jam tum Augustinus moliretur, sed ut ipsorum codicum, qui tum Venetiis, tum Florentiæ extabant, conditio innotescat, & juriscivilis scientiæ, & rei bibliographicæ historia magis illustretur. Atque eodem tempore IX Kalendas Februarii anni 1544, opus de legibus, & senatusconsultis fere absolutum ut perficeret, & in lucem ederet, a Taurellio rogabatur(c). Interea vocabat ipsum in patriam Isabella soror, quæ vidua relicta cum filiabus duabus a viris hæredibus litibus premebatur; sed ipsum jam Februario mense anni 1544 proficisci cogitantem Ænobarbi archipiratæ classis deterrebat, tum Carolus V a pontifice maximo postulavit, ut judicandis in romana rota litibus Ludovico Gometio Augustinus sufficeretur(d).

Verum non ante medium annum 1545 ad jusjurandum in sanctissimo illo concilio præstandum, locumque in eodem occupandum admissum fuisse, testes habemus Taurellii litteras ad Augustinum XI

(a) Epist. 47. (b) Epist. 73. (c) Ep. 76 (d) Epist. 47.

Julii 1545 datas. *Litteris tuis*, inquit Taurellius, *evangelia deberi ejus nuntii, quo mirum in modum delectatus sum; te tandem ad solemne istud sanctumquejusjurandum admissum esse: quo non tam tibi, quam ordini vestro, curiæque, quibus præclaris ingenii, atque industriæ tuæ dotibus frui datum est, gratulamur; justitiæ demum sanctitatique, quibus templum; oppressis vexatisque, quibus perfugium paratum est* (a). Illud item ex posterioribus aliis ejusdem Taurellii litteris constat, non pœnituisse Augustinum muneris illius christiani orbis dijudicandi. *Verebar sane initio*, inquit, *quam in partem molestias istas pragmaticorum, & causidicorum accepturus esses. Confidebam tamen industriæ tuæ, ac ingenio isti versatili (quod de M. Portio scribunt) fore ut natum ad id unum diceretur, quodcumque ageres* (b). Quibus alias etiam libet adjungere, ubi Taurellius augurari se ait fore ut Augustinus *illo munere methodum quamdam, & rationem aut novam inveniat, aut per manus traditam expoliat, qua litigantes non æternis controversiarum meandris absumantur, sed brevi explicent se, atque ad suum perveniant* (c). Quæ omnia abunde nobis ostendunt quid de Augustini ingenio, atque judicio, quid de ejusdem æquitate,

---

(a) Epist. 98. (b) Epist. 99. (c) Epist. 100.

& justitia Taurellius vir gravissimus existimaret. Ex eadem etiam epistola illud addiscimus Augustinum *de ludorum quinque interpretatione* non minus vere quam belle scripsisse. Aliud item ejusdem opusculum ex litteris ad Panvinium datis agnovimus. Sic enim scribit: *delle tibie vi farò copiare un discorso, che feci molti dì sono per uso mio* (a). Hæc dum ageret, & litibus judicandis attenderet Augustinus, anno 1554 a pontifice Julio III in Britanniam missus est, ut cum regina Maria, & cardinali Reginaldo Polo, pontificio legato, res illius ecclesiæ componeret, & cum per Belgium transiret, graviora quædam ageret cum Carolo V imperatore, Hispaniarum rege, ibi tum commorante. Et vero commentarium, quod de rebus agendis cum Carolo traditum ipsi a Julio fuit, datum est die ultima januarii anni 1554. Quod nos cum aliis monumentis Augustinum spectantibus postea proferemus. Anno 1557 de aliis legationibus Augustino committendis agebatur. Ab Octobri mense, ut in ejus epistolis videmus, de eo in Germaniam mittendo percrebuerat rumor (b). Et vero Panvinius cum mense novembri quoddam suum commentarium ipsi dicaret, episcopum Aliphanum, & apostolicum nuntium appellabat, quod illi Augustinus his verbis expro-

(a) Lett. 8. (b) Lett. 21.

bravit: *mi sono imbattuto in un errore, che mi fate vescovo e nunzio dal mese di Novembre; non essendolo io fino alli XV di Dicembre*(a). Profecto Breve pontificium, quod nos hic edemus, quo a Paulo IV ad Maximilianum Bohemiæ regem, Ferdinandi filium, legabatur, Romæ die XVII Decembris anni 1557 datum est. Parata jam omnia ad iter aggrediendum videbantur, & ipse die 8 Januarj scribebat ad Panvinium: *Credo partirmi di qua alli XX di questo, ed essere in Mantova alli XXIX in circa, due giorni poi in Trento*(b); & quidem Breve pontificium, quod illum omnibus magistratibus quacumque transiret commendabat, die XX Januarii anni 1558 signatum est. Verumtamen nescio quæ obstacula iter illud remorata sunt, & ipse die XXII scribebat: *non so ancora se debba andar così presto;* & paullo inferius: *non sono fuor di speranza di vedervi in Venezia*(c). Quin & die V Februarii iterum ait: *il chiamarmi nunzio avanti che sia partito (et chi sa se partirò?) avria poi del leggiero... la partita mia doveva essere jeri, ho mandato già sei cavalli a giornata, anderò lunedì (se Dio vorrà) per le poste per Bologna, e Mantova*(d). Demum ad initium Aprilis cum magnam jam Germaniæ partem percurrisset, Francofurtum pervenit, atque inde

(a) Lett. 37. (b) Lett. 25. (c) Lett. 26. (d) Lett. 27.

die XI scribit, narratque quam ingentem antiquorum librorum copiam Francofurti, Wormatiæ, Passaviæ, Moguntiæ, Dilingæ, & in aliis Germaniæ civitatibus reppererit, quæ Spiræ sepulcrorum imperatorum epitaphia describi sibi fecerit, quam multa observatu dignissima in aliis urbibus invenerit (a). Vindebonam demum venit, atque inde die secunda maji litteras dat, & quam locupletem numismatum thesaurum apud imperatorem Ferdinandum invenerit exultanter describit (b). Neque diu ibi ille commoratus est, siquidem Romam pervenerat ante diem XI Junii, quo die inde scribit, atque ita scribit, ac si jam aliquot dies ibidem degeret (c). Gregorius Majansius Augustinum dicit anno 1558 a die IV Kalendas Octobr. Neapolim, indeque Alipham contendisse (d). Id ipsum indicant Augustini verba in epistola ad Panvinium 24. Septembris data: *Io mi penso partir fra tre giorni, et andare a vedere le mie pecorelle. Starò quanto Dio vorrà.*

Quid vero novi evenerit, quid causæ fuerit, quæ illum brevi post tempore Romam revocaret, quæque iterum in Germaniam redire compelleret, nullibi explicatum invenio, id tantummodo in altera ipsius epistola ad eumdem Panvinium die Christi natali data scriptum video: *che direte, se mi vedre-*

(a) Lett. 28. (b) Lett. 29. (c) Lett. 30. (d) In ejus vita l. c. p. XXVIII.

te costì dentro di pochi giorni? Non vi posso dar questo piacer certo; ma non facendo la via di Trento, penso che la più diritta via per la corte del re di Romani sia passando per Venezia andar in Vienna. Orsù apparecchiate molte cose ec. (a). Sed tamen profectionem illam, ad quam ita proxime accinctus videbatur, nunquam est exequutus, neque amplius de ea in suis litteris locutum videmus: quin contra illico in oppositas plagas ad aliphanam suam diæcesim iterum remeasse, dicendum est. Siquidem & *Regum*, seu Epiphaniæ die VI Januarii Pedemontii in Aliphana sua diæcesi versabatur, & pleraque jam evolvisse e tabulariis aliphanis monumenta significabat (b); & paullo post diversas Siciliæ urbes peragrabat; ad cujus ecclesias inspiciendas a Philippo Hispaniarum rege legatus erat, unde plures ejus epistolas ad Panvinium, & ad Gualterutium habemus. Post ea tempora renuntiatus est Augustinus Ilerdæ Episcopus, & cum iterum Tridenti cogeretur concilium, eo ipse convenit, & die XXIII Oct. anni 1561 ad Gualterutium scribit, quadraginta tantummodo episcopos eo adhuc convenisse. Tridenti item die II Martii ad Panvinium litteras dabat, ad quem ultimæ quæ in hoc codice leguntur Ilerdæ, & Tamariti, quod oppidum est ilerdensis ecclesiæ, anno 1567

(a) Lett. 42. (b) Lett. 43.

datæ sunt. Ilerdæ item scriptæ fuere tum epistola illa quæ anno 1566 ad Latinum Latinium data est; tum ea quam nonis Septembris anno 1575 Surio scripsit; demum Tarracone idibus Februarii anno 1581 quam nos hic edimus ad Calenium missa fuit. Quæ quidem omnes certa aliquot vitæ Augustini tempora, & quasdam ut itadicam ipsius actorum ephemerides signare possunt.

Non injucunda hæc quidem eruditis lectoribus videri debent; sed illa fortasse gratiori animo excipientur, quæ ad italicorum gymnasiorum, atque ad celebriorum ejus temporis professorum uberiorem notitiam conferre valebunt. Quis enim non libenter exquiret, quodnam fuerit de Alciato virorum illustrium sui temporis, quodnam præcipue magni Augustini judicium? Nimirum video a plerisque asseri non bene de tanto viro sensisse Augustinum, & nonnulla circunferuntur epistolarum loca, quibus profecto apparet non ipsi admodum placuisse. Ego vero sic existimo, Alciati ingenium sive naturam neque Augustino, neque ulli fortasse sui temporis homini placuisse, quin & doctrinam ipsam, & novam docendi methodum non omnibus fuisse probatam. Superbus & arrogans, nimiumque se suaque amans dicebatur Alciatus; cæteros pauci faciebat, eosque officiis & comitate sibi devincire aut nesciebat, aut non admodum curabat; audiebat item lucri cupi-

d us, ferebaturque eos *qui eum consulerent ei non consulentes inconsultos abire, sedemque execrari Sibillæ* (a). Quamobrem cum patavini scholares, vocem omnium præferente Ludovico Aquanæo Parolecio gallo, viribus omnibus contenderent, ut Alciatus ad patavinum gymnasium conditione quavis traheretur, idque etiam Petrus Bembus, tantæ authoritatis vir, vehementer urgeret, nihil unquam obtinuere, obsistentibus qui Alciati collegæ futuri erant (b). Joannes Metellus non minus doctus & probus, quam comis & jucundus adolescens, quique Alciati scholam non sine præceptoris honore frequentarat, parvum quodam facilitatis officium in codice commodando, quod & sua, & Augustini studia multum juvasset, numquam ab eo obtinere potuit (c), atque eum duriusculum, & subrusticum, neque se solum, sed sua qualibet cæteris præferentem sæpe nobis ostendit (d). Taurellius item, homo mitissimus, & humanissimus, in his quæ de eodem ad Augustinum scribit non valde se amicum Alciato subindicare videtur (e). Quæ omnia nonnihil Augustini animum commovebant, quominus Alciatum, uti Sora contendebat, in cœlum efferret (f). Quin & de Alciati doctrina, sive de docendi ratione non eadem erat hominum eo tempore, ac nunc est, opinio. Parisius, atque

(a) Epist. 22. (b) Faciol. Fasti etc. Tom. II. anno 1542. (c) Ep. 88. (d) Epp. 87 88. al. (e) Epist. 97. al. (f) Ep. 22.

Socinus longe aberant a juris antiquitatisque peritia atque doctrina Alciati, sed tamen majori in pretio erant, & scholares complures dum Alciatum audiebant, Parisium atque Socinum desiderabant, & cum eodem tempore Socinus Patavii, & Bononiæ Alciatus docerent, frequentiores gratioresque auditores ad Socinum, quam ad Alciatum accurrebant. Quare in hac fere communi hominum de Alciato existimatione nihil mirum est, si Augustinus in eo laudando paullo morosior visus est, donec ejus lectiones præceptionesque pluries audivit, ejusque doctrinam interius percipere valuit, quod tantummodo anno demum 1539 evenisse dicendum est. Nam ante id tempus ex aliorum judicio potius quam ex suo de Alciato loquebatur, & quintili mense anni 1538 ad Mathæum Paschalem scribebat: *quid mihi adhuc Alciatus, nolim quæras. Non sunt enim temere de doctissimis viris verba facienda. Hoc de uno te possum facere certiorem, auditores frequentes Paulum Parisium, Marianumve Socinum desiderare, plerosque vero gaudere et triumphare* (a) Ad Soram nonis sextilibus: *illa quæ petis de nostris patavinis studiis ejusmodi sunt, ut vix sine Alciati tui contumelia dici possint; frequentioribus enim auditoribus & gratioribus Marianus Socinus Patavii docet, quam hic Alciatus* (b). Ad Vasquium ve-

(a) Op. tom. VII. pag 173. (b) Lett. 20.

rô mense novembri: *Alciatum pedum dolores impediunt, quominus totus in docendo sit, sex enim solos dies verba fecit... Dequo homine plura alias* (a). Atque ita quidem Augustinus cum nondum Alciatum agnoscebat, paulo frigidior in laudando erat, verebaturque ne modum in eo prædicando excederet, quem parum aliis probari sentiebat. Verum cum ejus doctrinam paulo copiosius hausit, tum enim vero libentissime in ipsius laudes excurrit, & quid de illius doctrina, & de docendi methodo sentire, aperte absque ulla tergiversatione declaravit. Sic enim idibus aprilis anno 1539 ad Fasolum scribit: *quem tamen* (Romulum) *audire non semper nobis licet per Alciatum. Hic etiam multa ex utriusque linguæ bonis auctoribus ad legum interpretationem applicat, non ut aliena civitate & legibus donat, sed ut alienata aut bello capta quædam jure postliminii redire jubet, quædam ab hostibus redimit, quædam suo quodammodo jure vendicat in libertatem* (b). Idibus vero majis ad Soram, cui prius egregie laudanti Alciatum parum annuere videbatur, sponte, nec ab illo provocatus, *Alciatus tuus*, scribit, *operam suam strenue navat, ratione utitur docendi optima, leni, non levi, disputantes non audit, sed quasi honorarius arbiter eorum de bono &*

(a) Ep. 34. (b) Ep. 11.

æquo contentiones dirimit(a). Cum vero postridie Kalendas martias anni 1540 responsum de juridica quadam causa, quod Soram jamdiu expetierat, mittere demum potuit, *non solum*, inquit, *vicit meam expectationem, quamquam erat maxima, sed se etiam ipsum vicit. Nihil enim unquam videtur dixisse doctius, nihil (quod caput est) ad rem accommodatius, nihil apertius, & in quo ille princeps est, nihil ordinatius*(b). Plura item, & magis familiariter ad Vasquium. Sic enim scribit: *Alciatum hinc cogitare aut statim, aut anno vertente, rumor est, quod nollem ante tuum adventum. Est enim in eo mirandum maxime, quod paucis disceptationem satis longam dirimit, legesque de quibus agitur optime declarat, datque multam studendi ansam*(c). Et alibi: *Meus Alciatus... nos omni genere doctrinæ hos duos menses erudivit; nam & disputationibus interfuit, & diligentissime est interpretatus, dictavitque nihilominus accuratissime*(d). Atque ita persæpe tantum ei laudis impertitur, ut appareat a nullo istorum, qui Alciati numinis cultores videri volunt, similiter esse laudatum. Quod si minutiora quædam ad magis distinctam Alciati vitæ cognitionem inspicere libuerit, observare licebit, Alciatum VII idus aprilis anno 1540 *pene animam agere*(e); XII

(a) Epist. 23. (b) Ep. 26. (c) Epist. 28. (d) Epist. 40. (e) Epist. 24.

vero Kal. quintiles *optima valetudine* frui (a); tum illud quod Augustino non facile assentior, nimirum Alciatum cardinalitiam purpuram, ad quam Parisius pervenerat, *fortasse spectare* (b). De Alciati a S. P. Q. Mediolanensi vocatione scribit ad Augustinum Metellus (c). Illud item ex Metelli litteris certo constat, Alciatum non anno 1543, uti ajut Mazzuchellius (d), & Tiraboschius (e), sed anno 1542 ferrariensem scholam iniisse, cum eo anno mense Novembri Metellus eum Ferrariæ docentem repererit *paulo minore frequentia quam Bononiæ, elegantia eadem, applausu, quanto alius usquam* (f). Quin ipsius Alciati ad Augustinum litteræ, quas nos hic producimus, Ferrariæ x Kal. Januar. anno 1542 datæ sunt. Satis multa de Alciato, quæ tamen non aliena hoc loco videri debent.

Nunc vero quæ in Augustini epistolis bononiensis academiæ facies appareat deinceps videamus. Princeps jurisprudentiæ doctor, & longo intervallo doctores cæteros antecedens, erat Petrus Paulus Parisius, sed cum is a summo pontifice Romam vocatus fuerit, ubi novis in dies, & amplioribus honoribus auctus, demumque sacra purpura ornatus fuit, vidua fere, magistroque destituta bononiensis jurisprudentia jacere videbatur. Nemo ul-

(a) Epist. 25. (b) Epist. 41. (c) Ep. 75 (d) Tom. I. Scr. ital. (e) Tom. VII. L. II. c. IV. (f) Epist. 77.

lus erat qui eam provinciam sustineret, & exortus est Restaurus nescio quis, qui ob inopiam doctorum adeo sibi præfiderat, ut magno postularet operam suam præstare, qua non juris quidem scientiam, sed ignorantiam doceret (a). Tunc enim vero venit Alciatus, qui licet non continuo Parisii desiderium extinxit, sed longe tamen Parisium, cæterosque omnes antecessores doctrinæ elegantia, & eruditionis copia superavit, & per totos tres annos sui nominis splendore bononiensem academiam illustravit. Interea Augustinus Berohus jus canonicum docebat: alia mens, alia ratio, dispar congressus Alciato, sed quem tamen Antonius Augustinus quodammodo comparat cum Alciato, & utrumque *duo* dicit *nostræ sapientiæ lumina* (b). Et vero reversus ille Patavio, antequam cæteros bononienses ejus anni professores audiret, magni illum facere videbatur, spemque omnem suam in Beroho reponebat: *Mihi vero, ut ingenue fatear,* scribebat ille x Kal. sext. ad Vasquium, & Angujanum, *omnia hic displicent præter litterulas nostras humaniores, in quibus acquiesco. Tota mihi prora, & puppis, ut ajunt, in Augustino Beroho est, quem puto expectationi meæ paria facturum. Sed hæc periculo facto ad vos* (c). Eo vero periculo facto rursus ad Vasquium: *Augustinum*

(a) Epist. 19. (b) Epist. 26. (c) Epist. 39.

igitur scito Augustino placere, neque eo solum quod collegæ ejus displicent, sed quod doceat docte, disputet acute, interpretetur clare; sed addit insuper, *sunt illa scilicet devoranda, quæ tu rides hæc legens*(a). Quæ ultima verba quo tendant, prorsus ignoro. Id demum ex Augustini epistolis satis liquet, juris tum civilis tum ecclesiastici scientiam penes Alciatum & Berohum extitisse. Cum nemo ullus Bononiæ esset, qui sedem ab Alciato desertam cum laude occupare posset, accitus Bononiam fuit anno 1542 Marianus Socinus, qui tum Patavii docebat, eodem, quo Alciatus, stipendio jurisprudentiam professurus. Eodem anno Bononiæ obiit Laurentius Pinus, qui, uti nartat Elephantutius, IL annum tum agebat, & ab anno 1519 inter publicos juris canonici professores adscriptus erat (b). Principem inter sui temporis juris consultos locum obtinuisse dicebatur; & Augustinus ad Taurellium scribens · *Malefactum*, ait, *quod Laurentio Pino bononiensi his ipsis diebus simus privati; neque enim, uno excepto Beroho Augustino, parem reliquit* (c). Duos præterea bononienses jurisprudentes nominat Augustinus, Fabam, & Boncompagnum, quos tamquam idoneos ad pisanum gymnasium instruendum Taurellio profert. *Bononiensium*, inquit, *ad id munus ac-*

(a) Epist. 34. (b) Degli scrittori bolognesi. (c) Epist. 57.

comodatiores mihi esse videntur Peregrinus Faba, & Joannes Boncompagnus. Sed illum docentem non vidi, tantum ex ejus discipulis audio, praeclare Neapoli scholas habuisse: est tamen non firma valetudine, & podagra crebro eum vexat. Alter firmis lateribus, & toto corporis statu, memoria tenaci, laboriosus vir, & non sine ingenio, optime omnium suorum civium operam navat suam, habetque discipulorum gregem non mediocrem. Hunc existimo minoris docturum(a). De Faba scripserat prius ad eumdem Taurellium: *Est hic Faba quidam bononiensis, qui praeclarum sui specimen Neapoli superioribus annis dedit, quo loci maxima frequentia atque mercede jus docuit civile; hic autem erit otiosus, quoniam non tanti conducitur*(b). Ubi duo licet animadvertere, scilicet eum, qui optime omnium suorum civium operam suam navabat, Joannem fuisse Boncompagnum, laboriosum virum, & non sine ingenio, memoria tenaci, & firmis lateribus, sed ignotum hominem, qui neque ab Elephantutio, doctorum indoctorumque omnium scriptorum bononiensium recensore, in suum tot voluminum syllabum excipiatur: alterum vero, Fabam bononiensem jacere otiosum Bononiae, quod eam, qua Neapoli donabatur, mercedem a suis obtinere non

(a) Epist. 61. (b) Epist. 59.

poterat. Hic ergo erat bononiensis gymnasii status: Pinus, Boncompagnus, aliique jurisprudentiam profitebantur, sed qui id cum Augustini laude præstarent duo tantummodo dicendi sunt, Alciatus, & Berohus. Extincta vero ante ipsius mortem Berohi fama, solus remanet Alciatus, a quo bononiensis, imo & totius Italiæ jurisprudentiæ vera gloria penderet.

Quod autem ad humaniores litteras specat, duo item præceptores ab Augustino laudantur. Primus quidem est Romulus Amasæus, qui ab omnibus ejus ævi scriptoribus plurima refert honoris testimonia, quique propterea iis, quæ in hisce epistolis leguntur, ad sui nominis famam minus indigere videtur. Sed tamen cum in clarorum hominum notitia juvet omnia perspicere; audientur, spero, non sine animi oblectatione & Metellus, qui se ait, cum ob nimios calores a professorum omnium scholis vacaret, Alciati tantummodo, & Romuli lectiones nunquam intermittere (a); & Osorius, qui Romulum Amasæum dicit, *virum non modo maximarum artium disciplinis instructissimum, verum etiam omni virtute & officio ornatissimum* (b). Et libentius fortasse a nonnullis minuta quædam, & singularia anecdota in Augustini epistolis legentur, nem-

(a) Epist. 75. (b) Epist. 45.

pe Romulum Amasæum anno 1539 totum fuisse in primo libro oratorio Ciceronis, & septimo Virgilii interpretandis (a), eumdemque anno 1542 habuisse Bononiæ de Gasparis Contarini vita orationem funebrem, *qua*, inquit Augustinus, *nihil audivi omnibus partibus perfectius, & elegantius* (b), & cujus notitia gratior nobis accidere debet, cum inter editas Romuli orationes non appareat. Præter Romulum, Petrus quidam Augustino carus humaniores litteras, præsertim græcas docebat. *Petrus ille meus, de quo apud te multa, duos epigrammatum græcorum libros nobis est interpretatus, sane diligenter:* scribit ad Fasolum (c). Ad Boleam vero: *Lazarum Bonamicum, si me audis, neque in latinis litteris Romulo, neque in græcis enucleandis Petro nostro comparabis* (d). Hic Petrus Patavium postea migrasse videtur, nam Metellus Patavii degens Petrum, & Fasrolum suos græcos præceptores vocat (e). Verum quis ille Petrus fuerit, quem *meum* Augustinus vocat ad Fasolum, *nostrum* ad Boleam? Mihi sane non constat. Nam ut Majansio assentiar, qui in Augustini vita Lucæ edita eum putat fuisse Petrum Ruitium, vetat ipse Augustinus, qui Michaeli Solerio Patavio scribens, *Ruitio*, ait, *cæterisque collegis salutem, Petroque præceptori nostro moleste me hanc peregrinationem*

(a) Epist. 11. (b) Ep. 44. (c) Ep. 11. (d) Op. etc. tom VII. pag 164. (e) Epist. 81.

ferre dices, quod ejus caream singulari doctrina (*a*). Ergo tot inter professores bononienses, qui magnam eo tempore sui nominis famam excitarent, duo tantummodo relicti sunt, qui a singulari doctrina posteritati commendentur, Alciatus & Romulus Amasæus. Quis enim nunc ne de nomine quidem norit Restaurum, Pinum, Joannem Boncompagnum, cæterosque ejus temporis professores? Ipsi quin etiam Parisius, atque Berohus, adeo magnifice prædicati, obscuri nunc in scholis academicis tacent, in foro tantummodo audiri se sinunt.

Patavinum item gymnasium totum pariter in duobus, ut ita dicam, fulcris nitebatur, in Mariano Socino, & Lazaro Bonamico. Profecto erant tunc ibi juris professores alicujus nominis Marcus Mantua, & Joannes Antonius Alexandrinus, quorum in academicis circulis concertationes non sine laude describit Augustinus. Erat item Fabius nescio quis, nec doctus, nec acer, & in quo præter vocem nihil erat quod laudares (*b*). Unus erat, qui Patavii, uti Parisius Bononiæ, cæteros omnes longo intervallo præiret, Marianus Socinus junior. Senensis Socinorum familia longo tempore jurisprudentiam, seu potius academiam patavinam implevit; siquidem primum Marianus senior, tum Alexander Ma-

(*a*) Op. tom. VII. p. 174. (*b*) Op. tom. VII. p. 163.

riani filius jurisprudentiæ tradendæ incubuere, ac demum Marianus junior senioris nepos, cum 23 annos, ut ait Facciolatus, in celeberrimis Italiæ gymnasiis docuisset, Patavium anno 1525 vocatus fuit, anno 1535 ex loco secundo ad primum pomeridianum ascendit pretio non communi, florenis nempe millenis, qui paucis post annis mutati sunt in ducatos argenteos, atque anno demum 1540 in aureos scutatos (a). Neque hoc mercedis incremento obtinere Veneti potuere, ne Socinus eam academiam cum bononiensi mutaret, ad quam *Alciatino pretio*, ut ait Augustinus, *vocabatur*. Quæ omnia argumento esse possunt quanto in pretio haberetur Socinus, quantumque inter ejus temporis professores emineret. Socinum Augustinus vocat quidem *optimum legum interpretem* (b); sed eumdem dicit *veterem illam docendi rationem tenere*. Quare licet tum temporis Socinus præ Alciato quæreretur, frequentioresque auditores ad ipsum, quam ad Alciatum accurrerent, nunc tamen ejus scripta nedum cum Alciatinis comparari, sed ne sustinere quidem horum splendorem valent, & cum Alciati libri jureconsultorum eruditorum manibus terantur, Sociniani latent obscuri, & fere obsoleti. Humaniores litteræ abjectæ erant Patavii, & cum Lazarus Bonamicus

(a) Fast. gymn. pat. T. II. p. (b) Tom. VII. p. 173.

ad eas docendas vocatus fuit, *in desertam*, ut ipse scribit, *ac prope depositam provinciam venit*. Ipse vero utriusque linguæ, scholæque onus cum in se recepisset, diebus tum festis tum profestis assidue docebat per horas duas, uti narrat Facciolatus (a). Sed eum tamen multum ab hoc docendi ardore decidisse dicendum est; quandoquidem ejus negligentiam a Faseolo, & Augustino, suis quondam successivis temporibus discipulis, notari videmus. *Quæ*, ait ad Faseolum Augustinus, *de Bonamici negligentia scribis credo, dederat enim cum isthic eram maxima ejus rei indicia* (b). Alibi vero Augustinus non magni facere Bonamicum videtur in humanioribus litteris explicandis, sed ipsum in latinis Romulo, in græcis Petro illi, de quo supra diximus, posthabere. Sic enim scribit: *etiam a Bonamico latinas græcasque litteras disco, quem, si me audies, neve in illis Romulo, neve in his enucleandis Petro nostro comparabis* (c). Clarissimos tamen habuit per totam Italiam, & vero etiam per universam Europam discipulos ingenio doctrinaque præstantes, vocarique meruit glorioso nomine *Archimagister*, & sibi atque academiæ patavinæ illustrem nominis famam comparavit. Latinas græcasque lit-

(a) Fast. etc. T. I. an. 1530. (b) Ep. 11.
(c) Op. t. VII. p. 164.

teras docebat pariter Patavii Faseolus, quem & ex paucis illis quas habemus suis, & ex Augustini epistolis optimum quidem virum, officiosum, humanitate, docendique studio commendatum, suis discipulis, aliisque carum, doctum etiam hominem, & laude dignum deprehendere mihi videor, non eum vero, quem inter eloquentiores scriptores, aut reconditæ sublimiorisque eruditionis philologos enumerare debeamus. Juris professores præter Socinum eam academiam occupabant Franciscus Curtius, & Rubeus, quorum memoria penitus fortasse excidisset, nisi in forensibus concertationibus a legulejis quandoque advocaretur. Ansovinus Medices jus etiam Patavii illis temporibus docuit, de quo cum frequens in hisce epistolis sermo habeatur, paulo item longior a nobis oratio postulabitur.

De Ansuino Medice hæc narrat Papadopoli: *Ansuinus Medices, nobilissima gente & traduce cum regnatrice conjuncta, Florentiæ natus est, vir magni nominis; ut a Thomasino signatur, elegantissimus jurisconsultus, litterisque cum græcis tum latinis excultissimus ex Mantua. Biturigibus primum docuit in Gallia, deinde Bononiæ, unde huc accitus profiteri cæpit post Marianum Socinum juniorem circa annum 1542, docuitque apud nos per annos circiter sex... anno 1547 notatur in actis publicis erogatum Ansuino stipendium. Post an-*

num illum vocatus a Cosimo Pisas eo profectus...(a). Fabronius contra ac Papadopolus nedum ex nobilissima familia cum regnatrice conjuncta, sed ne ex Etruria quidem ortum Ansuinum sensisse videtur (b). Sed cum eorum neuter ullum pro se afferat suæ opinionis argumentum, illud nos aliquantulum movet, ut Fabronio potius quam Papadopolo adhæreamus, quod nempe in tam longo frequentique Taurellium inter & Augustinum atque Metellum epistolari commercio de Ansuino nusquàm ab eorum aliquo verbum ullum elabatur, quo Ansuini conjunctio cum regnatrice Cosimi familia, aut saltem ejus patria etrusca indicetur; quod tamen ad eam rem de qua agebatur quandoque memorari oportebat. Rectius mihi videtur sensisse Facciolatus (c), qui eum vocat camerinensem; cum *Medicorum* nomen in camerinensi ditione ab eo tempore adhuc extet, & *Ansovini* prænomen (quod perperam cum *Antonino* in lucensi Augustini operum editione commutatur) sit fere proprium & peculiare illarum gentium, & vix extra camarinensium confinia nusquam alicui impositum. De hoc Ansuino sæpius agitur in nostris litteris. Jacebat enim tunc pisana academia bellorum tumultibus, aliisque rerum civilium turbationibus vastata, eamque ut rursus eri-

(a) Tom I. ad an. 1548. (b) Hist. gymn. pis. T. II p. 170. (c) Fast. etc. Tom II. p. 145.

geret Dux Etruriæ Cosimus, curam omnem in Lælium Taurellium transtulit, eique quos idoneos ad scholarum regimen arbitraretur appellandi, & quidquid vellet agendi potestatem fecit. Quare non satis liberaliter egisse cum Lælio videtur Fabronius, cum non alias partes a Cosimo ei traditas memorat, quam leges una cum filio Francisco, & cum Francisco Campana *condendi, quibus universa res academica gubernaretur*; licet in notis adjungat, *multas extare Lælii epistolas, quibus intelligi potest, ei præsertim comisisse Cosimum academiæ pisanæ gubernationem* (a). Neque enim legum latio tantummodo, & gubernatio academiæ, sed professorum destinatio, mercedum constitutio, & tota gymnasii pisani instauratio Lælio commissa est. Non fefellit Cosimi opinionem Taurellius, & ad amicos scripsit, eorumque opem & operam imploravit, & loca omnia perscrutatus est, & nihil denique intentatum reliquit, ut optimos quosque præceptores ad pisanum gymnasium alliceret. Sic ei postridie idus Octobres anno 1542 respondet Augustinus: *de nostris præceptoribus ita habeto: Marianum Socinum Alciatino stipendio hic jura docturum, Ferrariæ ipsum Alciatum paulo majore; Ansuinum ignoro Pataviine, an Ferrariæ. Male autem factum quod,*

(a) Hist. gymn. pis. tom. II. p. 5.

Laurentio Pino bononiensi his ipsis diebus simus privati; neque enim, uno excepto Beroho Augustino, parem reliquit (a). Rursus vero VII Kal. Novembres de Ansuino ait se tantum audire eum Patavii esse; dicitque de Faba quæ nos supra retulimus: post quæ scripta subjungit: *his scriptis Joannes Metellus dixit certum esse, Patavii qua scripsimus conditione conductum Ansuinum* (b). Augustinus item, ut Taurellii votis obsecundaret, ad Alciatum scripsit, cui respondet Alciatus ea epistola, quam inter hasce augustinianas referimus (c). De bononiensibus duos illos nominat, quos supra memoravimus, Fabam & Jo. Boncompagnum, & de Ansuino scripsit ad Metellum; quæ omnia Taurellio nuntiat IV id. Januar. anni 1543. Neque de Alciato, neque de Faba, aut Boncompagno quidpiam amplius in hanc rem actum videmus: in Ansuinum tota quæstio conversa est. Ergo Metellus supradictis Augustini litteris his verbis respondet Venetiis VIII idus Februarii: *nunc ad Ansovinum Medicem. Cum primum Patavium rediero ei tuas litteras legam, & ad Lælii mandata ut respondeat curabo diligenter. Ego profecto cum virum summe diligo propter ejus virtutes & ingenium. Quare si quid fieri poterit quod ejus virtutes illustret, ope-*

(a) Epist. 57. (b) Epist. 89. (c) Epist. 108.

ra haudquaquam erit perperam collocata, in homine præsertim nostris studiis mirifice dedito. Quid velit Lælius, ac cupiat in ea re, ut ad me apertissime perscribat atque plenissime, te oro, curato. Efficiam enim, ut ipse spe sua minime frustretur in eo retinendo. In annum tantum cum venetis pactum esse arbitror (a). Misit enim vero Metellus litteras Ansuini, qui sane non bene apud Taurellium audire videbatur. Sic enim Augustinus ad Taurellium XIII Kal. martias: *Joannes Metellus noster ad te has perveteres litteras mittit... cum Ansuini litteris. De quo meliores nuntios accepi, quam a te scribatur. Pro certo enim habeo, quod de valetudine dicebatur falsum esse. De scholis, in quibus magis bononiensibus quam patavinis placuisse dicitur, eam esse rationem suspicor, quod hic vicerit expectationem, quam non magnam conceperant de eo, qui alias gentes docuerit, illic victus ab ea sit, quam bononiensium sermonibus & litteris habebant. Nam nihil de summa contentione & laboribus detraxisse signum est, quod id solum ei vitio dant, quod ita meditatus veniat, ut quasi decantata quædam dicere videatur. Eum ex Metelli litteris hunc annum Patavii futurum accepi; itaque in cæteris atque adeo cum primis poteris hunc inter doctores*

(a) Epist. 80.

numerare, quorum delectum habiturum Illustrissimum Ducem tuum scribis (a). Postridie idus apriles scripsit ad Augustinum Metellus: *nunc ad Ansovinum. Is Pisis jus civile docturus est, si ei conditionem offerant Florentini, quæ patavina præstet. Eam quippe se petiturum negat. Quare siquid transigi volet Lælius, quanti eum docere cupiat, aperte perscribet* (b). Quare illico Augustinus ad Taurellium: *Ansovinus expectat ut meliori conditione a vobis evocetur, quam illic utitur, eam tamen se petiturum negat. Quantum itaque offerri possit, significate* (c). Male insitam de Ansuino opinionem non prorsus ex animo delevisse videtur Taurellius, siquidem ita ad eum III non. maj. Augustinus: *de Ansovino non belle suspicaris, qui suis nisi fallor moribus non minus vobis satisfaciet, quam non mediocri eruditione* (d). Cui Taurellius: *de Ansovino nihil adhuc certi habebam. Curaveram autem, cum trecentos scutatos Patavii habere eum sciam, quingentos offerri, ut Pisis doceat, quod scripsisse ad te meminisse videor* (e). Venit eo tempore Patavium Augustinus, atque unde adversæ illæ Taurellii in Ansovinum suspiciones orirentur aperuit, remque totam Taurellio explicavit. Nimirum Camillus Iordanus, nobilis pisaurensis, ingeniosus adolescens,

(a) Epist. 62. (b) Epist. 83. (c) Epist. 65. (d) Epist. 66 (e) Ep. 94.

Patavii scholaris, cui Lælius filiam suam desponderat, necessaria quadam conjunctione Coradino cuidam Ansuini adversario adhærebat, ejusque partes tuebatur; eratque propterea Ansuino infensus, ejus colloquium fugiebat, totumque negotium lentius ducere nitebatur. Scripsit igitur ad Taurellium postridie Kalendas junias: *cum Ansuino quoque Medice collocutus sum satis familiariter. Hic mihi multa de mercede a te oblata dixit, quorum verborum hæc summa est: parem non esse eam conditionem ei, quam a Venetis se impetraturum sperat; eo accedere minus celebrem istum scholarum locum, & cætera ejusmodi, quæ ad te superioribus diebus scripsisse se ait. De ea quoque re se expurgavit, quam tu quibusdam litteris significabas.* Atque hic cum totum id, quod nos modo leviter attigimus, longe explicasset, *de Ansuino vero*, addit, *ita existimo, ut probitatem ejus, & erga te amorem non minorem esse opineris, quam eruditionem: quem ita dimisi, ut dicerem me existimare, rem integram non esse novis conditionibus* (a). Non plana omnino atque aperta, uti Augustinus existimabat, ea erant quæ ad Ansuinum spectabant, misitque ad eum Taurellius longam ansovinianarum rerum explicationem, ob quam hic illi multum debe-

(a) Epist. 68.

re se scribit. Cum vero vana spe deceptum se viderit Ansovinus de patavinæ mercedis augmento, tunc profecto iterum pisanum gymnasium requirit, iterumque ad Augustinum & Taurellium accurrit. Quare sic Augustinus: *Ansuinus hic me convenit, & nescio quid de pisanis gymnasiis est loquutus, cupidus, ut videbatur, alicujus illic loci. Ego vero ei rem non esse integram videri respondi. Erit Patavii, ut optaverat, primus: nam Alexandrinum Antonium acerbissimo morbo teneri ajunt* (a). Cui Taurellius lepida quadam gravitate respondet: *Ansovini ratio jam hoc anno haberi non potest, quod & ipsi jam significavi. Quo Patavii floreat donec Pisanum gymnasium ejus fiat capax. Neque tamen Alexandrino perniciem illum ominari arbitror* (b). Vicit tamen sive Ansovini efflagitantis contentio, sive ipsius nominis fama, atque anno sequenti, scilicet 1544, in pisanum gymnasium receptus fuit. Quo simul ac venit, primamque orationem habuit, omnes in admirationem sui rapuit, uti scripsit Franciscus Campana Cosimi ab epistolis, qui et se ipsum ait pariter raptum, licet plures doctos professores audierit, neque se credere posse ab ullo usquam neque in Italia neque alibi melius dici (c). Hæc cum a Campana scripta sint mense Novembri

(a) Epist. 72. (b) Epist. 97. (c) Fabr. Hist. gymn. pis. vol. II. p. 169.

anni 1544, prorsus infirmant quod a Papadopolo scriptum est, docuisse nempe Ansovinum Patavii circiter annos sex. Quo pacto vero *anno* 1547 *notetur in actis publicis* (Patavii) *erogatum Ansovino stipendium*, ipse viderit. Nimis multa de Ansuino verba fecisse fortasse videor, sed non tamen ad rem nostram prorsus inopportuna, cum ad interiorem quamdam notitiam pisanæ academiæ conditionis, Taurelliique ad eam sustollendam ardoris atque constantiæ, atque ipsius Ansuini ingenii, aliorumque de eodem existimationis nonnihil, uti opinor, conferre valeant. Nonnullis item oblectamento fortassis erit legere quæ de comitiorum patavinæ academiæ turbis atque tumultibus in Augustini epistolis ad Vasquium significantur (a). Plura de academiarum alumnis dicere possemus, qui ex toto, ut ita dicam, terrarum orbe ad illa duo Athenæa, seu disciplinarum omnium emporia, avide accurrebant, cum in hisce epistolis & Arlenium, & Metellum, & Perenottum, & Osorium, & plerosque alios ex Belgio, ex Galliis, ex Lusitania, ex Hispania, ex Græcia, & ex omni fere natione nominatos videamus: sed quis dicendi sit finis, si omnia persequi velimus? Unum tantummodo leviter attingam, parum videlicet patavini gymnasii gloriæ Papadopolum

(a) Epp. 30 31.

consuluisse, qui cum claros illius alumnos enumeraret, Augustinum, Romæ litibus judicandis XII virum, aliphanum, & ilerdensem episcopum, archiepiscopum tarraconensem, clarissimum in fere cunctis disciplinis scriptorem, & tot nominibus illustrem silentio præterierit.

Mitto alia nonnulla ad litterariæ historiæ cognitionem spectantia, quæ raptim & perfunctorie attinguntur, sed quæ tamen digna sunt quæ animadvertantur. Præclarum de Petro Bembo testimonium dicit Augustinus, cum ad Vasquium scribit postridie nonarum Januarii anno 1539: *Petrum Bembum Romam accersiri vehementer gaudeo; est enim tanta urbe, senatuque jamdiu dignus. Sed quid opus est eum verbis exornare, qui ut aliquem possemus author fuit? Ille enim viam munivit (ut scis), admonuitque quam plurimos, ut eam ingrederentur, qua sola ad eloquentiæ arcem pervenitur. Itaque hoc non potuisset tam late patere, ut vel nos peregrinos (te etiam adjungens) non lateret, ni hunc principem habuissemus* (a). Hæc alibi de Sadoleto & Silvio cardinalibus: *de bellorum incendiis, quibus bona Europæ pars ardet, credo te habere certissimos nuntios. Extinguendis his, & regum animis placandis Sadoletus, Silviusque electi sunt; qui si*

(a) Epist. 36.

rem tantam aut divino auxilio juvante transegerint, aut in eo strenue operam suam navaverint, illi omnium christianorum principum, vel hominum potius gratiam optimo jure mereantur (a). Joachimum Perionium tullianum Aristotelis interpretem vocat Augustinus, atque *is*, ait, *praclare omnes græcorum librorum interpretes ad Ciceronis imitationem, in qua nimius nonnunquam est, adhortandos esse existimat. Quæ res, ut arbitror, æmulos meliores, quam reprehensores habebit* (b). Joannem Baptistam Egnatium eximiis laudibus ornat Metellus: *Equidem*, scribit ad Augustinum, *eo viro variarum rerum historia, aut copia majore prudentiam authorum qui explicet, quem viderim meo judicio nemo est* (c). De Æmilio Ferretto sæpe loquitur Taurellius, & ejus notas in libros digestorum omnes, & peculiarem suam loci cujusdam Ciceronis interpretationem (d), & nonnulla alia laude digna commemorat. Quam multa atque præclara honoris testimonia de Carolo Sigonio & de Hannibale Caro in litteris ad Panvinium passim occurrunt! Cui illorum temporum erudito viro non dictus P. Octavius Pantagathus, quem multi quasi antonomastice *Patrem* appellabant? M. Antonius Flaminius in hendecasyllabis *ad Octavium cognomento Patrem* eum

(a) Epist. 45. (b) Epist. 47. (c) Epist. 77. (d) Ep. 161

nobis describit tamquam librorum helluonem usque & usque noctes atque dies græca & latina volumina legentem. Leonardus Malespina hunc unum ex omnibus in omni judicio politissimum & elegantissimum mirari solebat, & *qui*, inquit, *eum Varronem hujus sæculi appellant næ illi mihi visi sunt quid maxime deceat intelligere* (*a*). Universim vero omnes & grammatici, & critici, & antiquitatis amatores, & quotquot erant litterarum cultores ad P. Octavium accurrebant, ipsumque tamquam rei litterariæ oraculum consulebant. Quæ omnia pariter ex Augustini litteris ad Panvinium magis magisque patebunt, & quod ille opus moliretur, quibus disquisitionibus incumberet, & alia anecdota addiscentur. Multa de Pyrrho Ligorio ab illius temporis scriptoribus dicuntur; sed quis præter Augustinum illud memoravit, quod post ea, quæ superioribus hisce annis tanta cum exultatione antiquitatis amatorum Præneste reperta sunt de Verrii fastis, maxime commendat Pyrrhi sagacitatem, qui jam ab eo tempore illa viderit, quæ modo in lucem prolata tantam novitatis speciem prætulerunt? Quis vero non miretur obscuram ignotamque tot annis latuisse Pyrrhi opinionem, quæ in VII epistola Augustini ad Panvinium exponitur? Multa ibi de Ver-

(*a*) Præf. ad Cic. ep.

rio, & fastis, & de Suetonii verbis: *statuam habet Præneste*, ubi alii legi volebant *Pro Vestæ*, aut *pro Æde Vestæ*, aut *Prope Ædem Vestæ*, aut *pedestrem*, omnes importunum illud *Præneste* delendum esse arbitrabantur. Unus Pirrhus Ligorius contra eruditorum aciem pro *Præneste* acriter decertabat. *Messer Pyrrho*, ait, *contradice quanto può a questa opinione, perchè trovasi in Palestrina quell' hemicyclo, e la base della statua con le parole de' fasti, le quali par aggiunte da lui. Questa lite è fuor di Rota, ma dubitiamo si farà un processo grande sopra. Se sarete ozioso vi manderemo a Palestrina a verificar queste opinioni. Io mi ricordo di un certo pezzo di fasti con certi magistrati municipali, e non si dice dove sieno trovati; se Messer Pyrrho mostra che sieno di Palestrina; penso che gli daremo sentenza in avore*. Tota illa Augustini epistola digna est quæ cum Fogginii opere de *Fastorum . . . fragmentis Præneste nuper effosis* Romæ anno 1779 edito conferatur.

Duo vero sunt, in his litteris laudati, græcus alter, alter hispanus, qui minus vulgo noti, & Augustini amici, singularem quamdam commemorationem exigere videntur. Primus est Nicolaus Sophianus, qui Corcyræ natus, græcisque litteris excultus, cum Venetiis degeret, in librarium famulatum a Mendoza receptus, in Thessaliam,

uti supra diximus, missus est, quem virum doctum appellat Augustinus, græcumque codicem laudat, quod ab eo cum alio veneto collatus fuerit, quique sæpius a Metello memoratur, & quod author sit *tabulæ Græciæ* prædicatur. *Is est*, scribit ad Augustinum Metellus, *cujus tabellam Græciæ commendabat Philenus Lunardus noster* (a). Quibus Metelli verbis corrigenda est Joannis Alberti Fabricii levis oscitatio, qui nescio quo sive mentis sive manus lapsu Michaelem Sophianum cum hoc Nicolao confundit, & Nicolai tabulam Græciæ falso attribuit Michaeli, citatque ad tomum IV Thesauri antiquitum græcarum *explicationem Nicolai Gerbelii in Græciæ Michaelis Sophiani descriptionem* (b). Eam Græciæ tabulam docto quodam commentario explicandam suscepit Nicolaus Gerbelius, titulumque apposuit: *Nicolai Gerbelii in Græciæ Sophiani descriptionem explicatio*; cumque in eo Sophiani prænomen non appareat, Fabricius Michaeli Sophiano adscribit. Sed tamen idem Gerbelius statim ab initio sui commentarii Nicolaum, non Michaelem eum vocat: *Nicolaus Sophianus, inquit, vir, ut ego quidem sentio, spectatæ virtutis & eruditionis... consilio pulcherrimo ac prope divino descriptionem hanc Græciæ ex optimis utriusque linguæ scriptoribus col-*

(a) Epist. 80. (b) Bibliogr. Antiq. c. II.

lectam in hanc elegantissimam picturam redegit (*a*). Nimirum alius omnino est a Nicolao Michael Sophianus, licet uterque inter eruditos græcos, & inter calligraphos adscribendus sit. Michael byzantinus fuit; Nicolaus corcyrensis: Michaelis pleraque græca carmina typis excusa leguntur, extatque latina versio librorum Aristotelis *de anima*; Nicolai quam modo diximus tabula, quæ & a Gerbelio, & ab Abrahamo Ortelio descripta est, tum græcum opus de præparatione & usu astrolabii Paulo III dicatum, & Basileæ editum, tum item manu tantum scripta grammatica græca cum ejusdem epistola nuncupatoria ad Joannem Lotharingium cardinalem (*b*), tum denique Ptolomæi Geographia Nicolai emendationibus atque notis illustrata Basileæ typis excusa, uti eam vidit Morellius (*c*), ac demum Plutarchi de liberorum educatione editio per Nicolaum Sophianum Venetiis 1544 ab Harlesio in Biblioth. græca Fabricii refertur (*d*). Uterque Sophianus inter græcos calligraphos a Montfauconio nominatur; sed Nicolai plures scripti codices ab eo citantur circiter annum 1534, Michaelis unus tantumodo, isque anni 1560 (*e*). Utriusque eruditio laudatur, Nicolai, ut supravidimus, ab Augustino, a Gerbelio, atque Metello, Michaelis a Paulo Manutio in episto-

(*a*) In præfat. (*b*) Bibl. reg Paris n. 2592. (*c*) Bibl. Pinel. (*d*) Tom. V. (*e*) Palæogr. græca l. I. C. VIII.

la ad ipsum scripta (a), Nicolao igitur, non Michaeli Sophiano laudi danda est ea tabula, quam illius esse adeo aperte dicit Metellus, qui cum ipso Venetiis degebat, eodemque familiariter utebatur, atque de ea tabula tamquam de re non admodum recenti scribebat jam ab anno 1542, quo tempore Michael adolescentulus ne ad ipsam quidem intelligendam, ne dum ad concinnandam fortasse sufficeret.

Longiorem sermonem ab hispano homine postulat hispanus Petrus Ruitius, clariorique apud omnes memoria dignus est jurisconsultus doctissimus, & acutissimus poeta, quem & egregiæ doctrinæ, atque ingenii dotes, & familiarissima cum Augustino amicitiæ consuetudo bonis omnibus commendant. Petrus Ruitius de Moros Alcagnitii in Aragonia nobili genere ortus in patria primum, tum in ilerdensi academia latinis litteris & jure civili institutus fuit. Inde in Italiam ad uberioris doctrinæ sitim explendam, non quidem Patavium, ut plerique dicunt, sed Bononiam venit, ibique sub Parisii, Alciati, & Berohi disciplina plenam juris utriusque scientiam toto pectore hausit. Bononiæ paucis ante annis collegium, ubi Alcagnicenses adolescentes exciperentur, fundaverat Andreas Vives Alcagnitii & ipse natus, & in bononiensi S. Clementis

(a) Lib. IV. Ep. 44.

collegio educatus. Hoc collegium *alcagnicensis* nomine memorat in epistola ad Boleam Augustinus (a): *viviani* vero in altera ad Joannem Soram (b): atque in eo sane, non in S. Clementis collegio, uti Nicolaus Antonius, & ante ipsum Andreas Schottus arbitrati sunt, Ruitius receptus fuit. Erat ille acutissimo ingenio adolescens, & subtilissimus, atque, uti Schottus ait, acer disputator. Quin Augustinus eum doctoris lauream in bononiensi academia consecutum scribit ad Boleam, *ut cum praeceptoribus suis illis feriis disputaret* (c); & sic item ad Soram: *Ruitius Patavium profectus est, ut suorum studiorum in acutissima disputatione periculum faceret, quod fecit, & cum, postquam duos dies acriter, ut solebat, cum patavinis contendisset, Bononiam redire cogitaret, ut hos etiam vexaret, incidit in acutissimam febrem, & quod molestissimum est, periculosam* (d). Ipsi Ruitio de obtenta Patavii victoria gratulatur, eumdemque de futura bononiensi concertatione ab omnibus expetita bene sperare jubet (e). Ruitium sibi delegit Augustinus, quem interlocutorem cum Sora, & cum Bolea in suis dialogis ad graviores juris quaestionis dirimendas adhiberet (f). Bononiae *professorem egit non tantum scientia juris, sed & omni humanitatis & eloquen-*

(a) Op. Tom. VII. p. 168. (b) Epsit. 24. (c) Op. Tom. VII. p. 170. (d) Epist. 25. (e) Ubi supra p. 175. (f) Ibid. p. 196.

tiæ, ac poeticæ rei studio nulli civium suorum inferior, ait Nicolaus Antonius (a). Ibique & hispanorum, & ex omnibus Europæ partibus collecta frequentia quacumque ibat stipabatur (b). Ibidem jam ab initio anni 1538 poema quoddam pangebat *Alciato Bononiaque plaudentibus*, componebatque complura epigrammata, quorum alterum in Mattheum Curtium etiamnum in editis extat, eamque in poetica virtute præstantiam obtinebat, & tot modo ejus habentur carmina, ut nescias majoremne laudem a poetica, an a jurisprudentia assecutus fuerit. Mentis acumine, disputandi subtilitate, doctrinæ copia, poetica facultate, facilitate morum, & ingenii festivitate omnium, & hispanorum, & italorum, cæterorumque exterorum amorem sibi conciliavit, claramque sui nominis famam excitavit; quo factum est, ut dum ipse Bononiæ jurisprudentiæ scholas habebat, dum aliquem magistratum in Italia, & quidem Mediolani potius quam Neapoli, inire ambiebat, a polonis ad jus civile docendum acciretur, cumque illius doctrinæ lumen in Italiæ cœlo albescere inciperet, ad sarmaticas regiones detruderetur. Ruitium abeuntem flebili carmine comitatus est Augustinus:

Lugete, o latii graves levesque
Vates, dulcisonum meum poetam...

(a) Bibl. Hisp. v. *Petrus Ruitius* (b) Op. &c. l. c. p. 175.

& cætera quæ ab Andrea Schotto referuntur (a). In Poloniam ergo translatus Ruitius fuit anno 1542, ibique statim illustres & consultores & auditores frequentissimos habuit, in quorum sinu & oculis eum fuisse videmus ex iis quæ ad ipsum Ruitium scribit Augustinus (b), & quæ anno 1544 Hieronymo Osorio nuntiat: *Ruitius sarmatas jus civile docet, in pretioque est* (c). Cujus nominis fama excitatus Ferdinandus Romanorum imperator eum per Joannem Langum legatum austriacum honestissimis conditionibus ad vindebonensem academiam ornandam invitavit. Non tulit id Poloniæ rex Sigismundus, neque ullo pacto Ruitium a se dimitti passus est, uti Ruitius ipse testatur (d). Quare in Polonia totum vitæ suæ reliquum cursum peregit, & Cracoviæ juri docendo in academia, & gravioribus negotiis expediendis, majoribusque causis in supremo consilio decidendis, & Dantisci civilibus tumultibus sedandis occupatus, et Vilnæ, et Somogitiæ ecclesiasticis dignitatibus auctus, & semper & ubique disertus leporum & facetiarum, versuum amœnitate societatem oblectans, permultos annos feliciter vixit. Hæc & pleraque alia ad majorem de Ruitii rebus notitiam pertinentia accurata diligentia decribunt & Polonus canonicus Janoski in opere an-

(a) Bibl. Hisp. p. 322. (b) Op. l. c. p. 175. (c) Ep. 47.
(d) Decisiones Lithuanicæ Præfat.

no 1776 Varsaviæ edito, ubi de litteratis poloniæ disserens, in his Ruitium adnumerat, atque ejus opera præsertim poetica prolixe describit, & hispanus La Tassa, qui plura volumina de suis aragoniensibus doctrina præstantibus concinnavit, inque his per totas undecim paginas Petrum Ruitium aragoniensem Alcagnitii natum & Ilerdæ educatum, Bononiæ & Cracoviæ jurisprudentiæ & humanitatis studiis intentum, carmina pangentem, juris scientiam docentem, gravioribus muneribus amplissimisque honoribus ornatum nobis exhibet, ejusque operum longum catalogum texit. Dolendum nobis est quod cum ejus opera in septentrionalibus illis regionibus excusa sint, pauca ad manus nostras pervenerint: Ruitii *Stanislaus*, sive carmen heroicum de sancto illo pontifice cæso sæpe antea illic editum cardinalis Durinius rursus inter Simonis Simonidis carmina recudendum curavit anno 1772; & vir clarissimus Ignatius Asso pleraque edidit inter *cl. Aragoniensium monumenta* ab ipso hispanis prolata. Sed nos in Ruitio laudando terminos huic nostro proposito præfixos excessisse videmur; detur nobis hæc venia de hispano homine loquentibus, Augustini amicissimo, parum noto, totque & jurisprudentiæ & poetices laudibus ab omnibus qui eum noverunt commendato, ut quod ipse lumen in cimmeriis illis tenebris celari passus fuit, nos in has dias Italiæ

auras paulo liberius, quam nobis par erat, proferamus. Duo alii doctissimi hispani in italicis ad Panvinium litteris frequenter occurrunt, qui ingens orationi nostræ argumentum præbere possent, si eos hic laudandi locus esset, Franciscus Torres, sive Turrianus & eruditionis latinæ græcæque copia, & scriptorum numero pretioque clarissimus, & Franciscus Vargas, tum Venetiis, tum in tridentino concilio regius legatus, & ipse suis scriptis, obitisque legationibus abunde notus. Multa item de Goltzio, multa de Strada, multa de Ænea Vico, aliisque compluribus in eisdem litteris narrat Augustinus; ut facile dici queat hocce epistolarum volumen iis, qui doctorum hominum vitas, & universim iis omnibus, qui quamcumque litteraturæ historiam illustrandam susceperint, plurimum subsidii allaturum.

Quod si quis bononiensis hispanorum collegii S. Clementis historiam, dignam illam quidem quæ non ab hispanis modo, sed ab italis, & ab eruditis omnibus cognoscatur, scribendam aggrediatur, quam multa adjumenta ad opus perficiendum ex his litteris excipere valebit! Ipse Augustinus ejus pars magna fuit, ipseque, uti supra dictum est, eam scribere cogitabat, & aliquot ejus epistolæ ad Soram aperte significant id quod ad illam historiam spectare etiam posset, nimirum ardenter se optasse, plura movisse, sæpissimeque scripsisse, ut a cæsa-

raugustanæ ecclesiæ canonicis, queis jus competebat, ad togam illam induendam eligeretur, & a collegii sodalibus in sinum suum cooptaretur (a). Quanta religione ac severitate difficiles se se præberent collegæ in novis sociis excipiendis, argumento esse poterunt quæ de rejectis Artiedæ probationibus, aliisque requisitis inculcat Augustinus (b), quæque de Petri Lacunæ fuga, deque Georgii Turrii tumusculis narrat (c); & alia nonnulla. Tum pleraque alia refert de collegii usibus, ac statutis, quæ non parum lucis illi historiæ instituendæ conferre possunt. Joannes Sora, Bernardus Bolea, aliique illustres collegæ frequenter in hisce epistolis legentium oculis obversantur, & illi quidem non parva hujus historiæ pars esse deberent. De Sora dictum est supra. Bernardus Bolea haud obscurum attulit collegio decus, cum multis magistratibus decoratus, primum in provincia præfectus, tum in urbe civilis rotæ judex, *vicariæ*, ut ibi ajunt, regens, regiæ cameræ præses, regensque cancellariæ, & consiliarius collateralis, per omnes honorum gradus toti neapolitano regno, quin & Italiæ & Hispaniæ universæ summa æquitate & doctrina se se spectandum præbuerit. Atqui hujus viri clarissimi dignitatis, politicæque gloriæ primordia in hisce litteris expressa ha-

(a) Epist. 18. al. (b) Epist. 19. (c) Epist. 23.

bemus. Hic enim legimus, quemadmodum ille cum videret a patre se destitutum, & temporis angustias cogere, ut si vellet ad tempus adesse, opus esset properato, postridie iduum sextilium & pontificii & civilis juris more majorum consultus est appellatus, statimque versura coacto viatico xv kalendas profectus est Neapolim, ut præfecturam aliquam a proconsule impetraret (a). Idibus Octobris dandi erant magistratus, competitores habebat Paterninam, Saraviam, & Gumielem, omnes olim suos in eodem collegio socios. Non tamen ante initium sequentis anni quidquam obtinuit, eique tum Apulia provincia obtigit, in qua cum gloria jus dixit(b), sibique ad ampliores, quos supra diximus, magistratus gradum fecit. Petrus Domingues Molo varia in eo collegio expertus est benignæ & adversæ fortunæ discrimina, atque in ejus historia peculiarem sibi quemdam locum postulare videtur. Medicinæ studio vacabat, & collegium anno 1533 adiit; ibique post duos annos consiliarius creatus est. Postea verò, quibus de causis nescio, verumtamen e collegio pulsus est. Noluit ille tamen inde prorsus abire, ad cardinalem Quignonium collegii protectorem appellavit, & rus interea abiit, ubi collegii sumtibus degebat, sperabatque Quigno-

(a) Epist. 21 31. (b) Epist. 25.

nium illius secessus pœnis fore contentum (a), Obtinuit enim vero veniam, & sub initium anni 1539 denno in collegium receptus fuit, & paulo post in comitiis mense majo habitis in consiliarium electus (b); quin & sequenti anno tum collegio, tum medicinæ in academia gymnasiis præfectus fuit (c). Sed non multo diutius ibi remansit, cum anno 1542 eum in Cæsaris castris degentem in pannonico exercitu artem suam naviter exercere scribat Osorio Augustinus (d). Cui respondit Osorius: *Molonem nostrum militarem disciplinam cum arte medica conjunxisse non sum admiratus. Omnes enim illius impetus ad laudem novi. Credo illum minime contentum ea gloria, quam sanandis amicis assequebatur, ad eam aspirare etiam voluisse, quam in infirmandis inimicis consequi poterit* (e). Carum imperatori fuisse credendum est, siquidem anno sequenti 1543, cum imperator in Italiam ad colloquium cum Paulo III venisset, ipsum Petrus Molo comitatus fuit (f). In hisce litteris se se nobis exhibent in Calabriæ magistratu Villanova, & in Campaniæ Scobar, qui ex his ad alios illustriores gradum sibi fecere, & Guevara, qui decretalium scholas in bononiensi academia habuit & in mediolanensi senatu regii fisci partes

---

(a) Epist. 20. (b) Epist. 23. (c) Epist. 25. (d) Ep. 44 (e) Epist. 45. (f) Epist. 46.

sustinuit, & ad altiores postea in Hispania dignitates sublatus fuit; & Alvarus qui in Brutiis *Judex fuit integerrimus, & Jureconsultus præstantissimus, & scripsit commentaria super tit. de legat. prim.* Ibidem sæpe nobis apparent & Castellus, qui in bononiensi accademia logices fuit professor, & Saravia, qui & Bononiæ juris canonici professione & in neapolitanis provinciis magistratibus functus fuit, & Patignus, qui *tractatum de militibus* scripsit, & amplissimos Neapoli magistratus obtinuit; & complures alii in his Augustini litteris memorantur, quorum nomina collegii fastos ornare valebunt. Illud item animadversione dignum nobis videtur: Hermangolius, & Franciscus Lopes ab Augustino laudantur tanquam *de humanioribus, & civilibus studiis ita meriti, ut paucos habeant in illa ætate pares, multos vero & æqualium & natu grandiorum inferiores* (a). Atqui Franciscus Lopes (de Hermangolio mihi non constat) collegii erat a sacris, unusque e quatuor, quos semper collegium alit, illius templi administris. Eodem ibi munere functus fuit Joannes Paetius de Castro, vir multis doctrinæ nominibus clarus, & Augustini amicus; eidemque, uti credi par est, incubuit Joannes Quadra, Augustini in grammaticis magister. Non ultima vero col-

(a) Epist. 2.

legii laus est etiam ad sui templi munia tales ministros habuisse. Totam comitiorum rationem, quæ in illo collegio anno 1539 Kalendis majis habita fuere, adeo perspicue distincteque Augustinus Soræ describit (a), ut iisdem quodammodo interesse videamur. Et pleraque alia ex hisce litteris depromi queunt, quæ ad interiorem collegii cognitionem non parum conferant.

Mitto ea, quæ ad Caroli V cum Paulo III congressum, quæ ad matrimonia Caroli filiæ cum Pauli nepote, & filiarum Petri Toledi, alterius cum Cosimo Etruriæ duce, alterius cum altero Pauli pontificis nepote, quæ ad conventum a Carolo in ulteriore Hispania habitum, quæ ad classis præfecturam Doriæ demandatam, uti & arcem florentinam, atque adeo totam Etruriam Joanni Lunæ commissam, atque alia ejus temporis acta sive bellica sive politica spectant: non litteraria modo, sed civilis etiam historia ex Augustini epistolis lucem accipiet.

Quantam item suppeditant librorum notitiam, qua se se queant oblectare bibliographi, præsertim juris periti! Nos digitum tantum ad ea intendemus, quæ lector in ipsis epistolis penitius inspicere valebit. Augustinus Venetiis incidit in græcos quosdam legum, & pontificiarum regularum libros. In Bessa-

(a) Epist. 23.

rionis bibliotheca repperit Novellarum græcarum librum Norico multo locupletiorem, de quo etiam sermonem habet Emend. lib. II. c. 9, & quem erudite more suo describit Morellius (a), & ex eo XL fere græcas costitutiones descripsit partim barbare versas, partim ab omnibus desideratas; in quibus Zenonis Constitutio de novis operibus, & prospectu maris, quæ in constitutionum Codice deest. Item edicta omnia Justiniani, Novellæ aliquot, & alia complura. Quod ad jus pontificium attinet, ait idem, *multa ex conciliis veteribus græcis, atque latinis collegimus*. Quæ quidem omnia nobilem locum dare poterunt Augustino inter eos, qui ex venacta D. Marci bibliotheca rem litterariam amplificarunt. In illius codicis indice præfectorum edicta nuntiabantur, sed desiderabantur in libro, quæ tamen ipse in monasterio S. Marci Florentiæ vidisse se meminerat. Inventus item ab ipso Venetiis fuit apud doctum virum Ottonellum, optimum causarum patronum, vetus ille novellarum liber latinus, quem Julianum Patritium scripsisse, quod certum est, credebat Alciatus. Hunc Augustinus sibi describendum curavit; sed ejus tamen descriptum exemplar in Augustini *bibliotheca* non legitur adnotatum. Neque illum quidem constitutionum codicem in

(a) Bibl. man. Cod. CLXXIX.

eadem signatum reliquit, quem habere se ajebat ante annos cccc. scriptum marciano florentino persimilem. Varia librorum lectione apud Mendozam recreari se ajebat Augustinus (a). Vidit apud eumdem Metellus compendium sexaginta librorum; & commentarium ad legem rhodiam. *Reliquorum*, præterea inquit, *qui latent in Marciana bibliotheca indicem ad te mitto* (b). Quem profecto indicem utinam in Morellii nostri manus Deus aliquis deferat! quæ non ille bibliographiæ lumina & miracula ex eo promet! Ait insuper ipse Metellus, esse in suo ære compendium τῶ ἑξαβίβλυ, Antonii Eparchi, cæterorumque judicio usitatissimum in Græcia, quod in lucem edere cogitabat (c): quædam item habere se dicit de gradibus cognationis græce scripta (d), quæ nescio an usquam edita sint. Bononiæ codicem satis antiquum collegii S. Clementis hispanorum laudat Augustinus, & ex eo veram quamdam lectionem a Taurellio prolatam confirmat (e). Ibidem apud dominicanos sodales exemplum extabat novellarum Justiniani cum Lodovici bononiensis pandectis, *quo exemplo*, uti scribit Augustinus, *usus fuit Haloander; sed, ut idem ait, quasdam præfectorum prætorio, formulas de accessionibus*

(a) Epist. 72. (b) Epist. 77. (c) Epist. 81. (d) Ep. 80
(e) Epist. 60.

possessionum, & quomodo oporteat in possessionem mittere, aut noluit, aut non potuit edere (a). Florentiæ in Marciana bibliotheca novellarum græcarum librum, & in quo essent præfectorum edicta, quæ in aliis desiderabantur, vidit Augustinus. Metellus in laurentiana alias græcas institutiones repperit, quam quæ Politiani fuerunt, & multo locupletiores, quam quæ vulgo circumferuntur (b). Quodnam porro illud esse dicemus græcum pandectarum compendium, quod Augustino Taurellius significarat? Quodnam ingens illud decretorum pontificum & conciliorum volumen, quod Augustinus cum vulgaribus conferebat? Ferrariæ apud Alciatum vidit Metellus novellarum Justiniani compendium manu longobardica ante multos annos descriptum, Alciati judicio edito longe locupletius, sed in quo, uti scribit Metellus, deerant in extremo aliquot pagellæ, vel potius multi codicilli, & quod, ut idem observat, præferebat in inscriptione nomen Juliani, quo alter Metelli codex carebat (c). Librum Juliani bizantini accepit ab Augustino Metellus, eum fortasse, quem Augustinus ex Ottonelli codice sibi describendum curavit; Metellus vero græcam quamdam legum epitomen ad illum misit (d). Idem Metellus relatum sibi a quodam gallo ait, venire Lugdu-

(a) Epist. 48. (b) Epist. 91. (c) Epist. 87. (d) Ep. 82.

ni jurisconsultum quemdam græcum *de servitutibus* in Germania editum, sed de eo tamen verum ne sit dubitare videtur (a). Atque de his, aliisque juris codicibus frequentes Augustinum inter & Metellum, atque Taurellium circumferebantur epistolæ, quas si Henricus Brencmannus, si Josephus Maria Suaresius vidissent, næ illi multo accuratius de pandectarum emendationibus, de novellis, deque Juliano Patritio scripsissent, locupletioremque nobis Brencmannus Pandectarum historiam, Suaresius Notitiam Basilicorum dedissent.

Cum vero ad Panvinium scribit Augustinus, non de pandectis, neque novellis, sed de aliis omnino libris sermones habentur. Quanti enim vero conciliorum codicem veronensem faciebat Augustinus, quem quoquo vellet pretio ut describi sibi curaret, Panvinium rogabat! quod tamen exemplar Panvinii opera ex veronensi descriptum (a) notatum in ipsius Augustini bibliotheca non video. Latebat in bibliotheca veronensi Pacifici archidiaconi liber, quem ut in lucem ederet Panvinium orabat Augustinus: atque utinam exorasset; quis enim tantæ antiquitatis librum non desideret? *Quanto al libro*, ait, *del nostro Arcidiacono Pacifico se nelli autori, che cita, trovate ch'esso abbia avuto più libri di noi, po-*

(a) Ibid. (b) Lett. 1. 4.

treste farlo stampare, o copiare, che non c' è libro tanto tristo d' antichi, che non giovi, come dice Plinio nepote (a). Quem vero dicemus fuisse librum illum Pacifici a Panvinio indicatum, quem nos modo frustra desideramus, alterum fortasse ex illis, quos *bis centenos terque senos* codices fecisse in ejus epitaphio Veronæ adhuc extante legitur? Num Glossas illas in Exodum, quas Maffejus Pacifici fuisse levissima quidem conjectura, sed aliqna tamen suspicatur? Num lexicon illud geographicum, quod a scriptore quodam, parvi licet momenti, tanquam Pacifici opus citari scribit Maffejus (b)? Porro in unoquoque illorum multos auctores appellari oportebat. Sed nos vanis commentis tempus terimus; id tantum ex Augustini epistolis dicere valemus, extitisse in veronensi bibliotheca Panvinii tempore Pacifici librum, cnjus nulla apud posteros servata memoria est. Quasnam porro esse dicemus illas pontificum epistolas in dissensione Liberii, quas se Panvinio missurum ex Germania scribebat Augustinus (c)? Illud mirum videri poterit, ignotas adhuc eo tempore Augustino fuisse Symmachi epistolas. *Le epistole*, ait, *di Simmaco non so che cosa sia*; & rursus: *del libro di Simmaco non sapeva* (d). Quis vero credat notas Augustino non fuisse anno 1557 Symma-

(a) Lett. 1. (b) Ver. illustr. degli scritt. ver. (c) Lett. 8. (d) Lett. 9.

chi epistolas tantopere decantatas, typis jamdiu in vulgus editas, atque omnium manibus pertractatas? Quare dicendum puto, non ibi verba fieri de Symmacho viro consulari, & urbis præfecto, & in omni historia tum litteraria, tum civili, & ecclesiastica sæpius memorato, deque ejus epistolis cuilibet infimi ordinis litterato notissimis; sed potius de Symmacho papa, cujus epistolæ aut ignotæ prorsus tunc erant, aut certe parum cognitæ, antequam ex codice arelatensi a Baronio, & ab aliis Baronio posterioribus ex aliis tabulariis depromptæ in lucem ederentur; & quas fortasse Panvinio in alio quodam codice invenisse contigerat. Quo ille animi gaudio repperisse se narrat in Germaniæ bibliothecis ingentem librorum copiam? Exultat in Wormatiensi, quam ait omnium locupletiorem libris latinis fuisse, ex eaque quatuor antiquarum decretalium collectiones ante Gregorium IX adornatas describi sibi fecisse (a). Complura alia passim de canonicis, ecclesiasticisque rebus, nonnulla item de romanorum scriptorum antiquis exemplaribus in illis litteris occurrunt, quæ eruditos bibliographos legisse juvabit.

Atque his, aliisque bibliographicis monumentis nonnulla etiam, quæ ad typographicæ historiæ co-

(a) Epist. 18.

gnitionem spectant, ex eisdem literis adjungere fas erit. Nos modo magui facimus antiquos illos Italiæ typograhos Jolitum, & Junctas; sed eo tempore, medio fere sæculo XVI, non eodem erant in pretio, longeque illis exteri præferebantur. Metellus ut audiit Augustinum *emendationum & opinionum* opus edere cogitare, illico basileenses typographos, non italos ei profert: *eos*, inquit, *diligenter edi Basileæ curabo, si voles* (a). Augustinus pariter ad Taurellium: *editionem pandectarum malim Lugduni, aut in Germania fieri curares, quam in Italia. Scis enim quantum illi librarii præstent* (b). Et cum ipse opus suum *emendationum & opinionum* typis excudendum Junctis commisisset, postmodum de eorum imperitia querebatur (c); qui quidem nonnunquam hallucinati fuerunt, peregeruntque editionem non nimis inelegantem, sed mendosam (d). Ipsi quin etiam Junctæ cum Taurellio in editione pandectarum gratificari vellent, operam cujusdam germani, non suam pollicebantur, & hujusce germani typographi characteribus, non suis, in augustiniani operis editione usi fuerunt (e). De Roberto Stephano, & de Frobenio quam longe distat coævorum hominum existimatio a posterorum opinione! Nunc Roberti Ste-

(a) Epist. 80. (b) Epist. 64. (c) Epist. 47. (d) Ep. 72. (e) Ibid.

phani in librorum correctione, & in omni re typographica summa auctoritas: Frobenii minus celebris. Contra eo tempore, uti ex Metelli litteris addiscimus, cujus verba juvat hic referre: *de Roberto Stephano non est cur admodum labores. Frobeniani characteres sunt multo meo quidem judicio elegantiores, & minus obtundunt oculorum aciem. Est item Frobenii in evulgandis antiquissimis quibusque omnium disciplinarum libris magna auctoritas. Roberti minus celebris* (a). De toto vero pandectarum florentinarum editionis negotio quam multa in hisce epistolis legimus, quæ si ad Brencmanni notitiam pervenissent, quasi thesaurum de cœlo delapsum ad opus suum locupletandum læto & exultanti animo excepisset! Hæc modo nos, cum circa rem adeo jurisperitorum litteris prædicatam versentur, paulo latius explicemus.

Cum Augustinus anno 1542 aliquot menses pandectis conferendis Florentiæ versatus est, nondum quidpiam de illa editione percepisse videtur, sive quia nihil adhuc certi de eadem Cosimus Dux & Taurellius meditati erant, sive quia nondum hic adolescentulo modo illuc delato, neque satis adhuc sibi cognito, licet studioso & honesto, rem tantam communicandam existimavit. Cum vero libros illos

(a) Epist. 83.

emendationum Taurellio missit, perculere hujus animum mira Augustini eruditio, subtile ingenium, maturumque judicium, eique omnia sua consilia libenter aperuit, & nescio quid de intentata illa editione scripsit. Itaque pridie nonas Martii anni 1543 respondet Taurellio Augustinus, uti supra diximus: *editionem pandectarum malim Lugduni, aut in Germania fieri curares, quam in Italia. Scis enim quantum illi librarii præstent* (a). Erant qui Robertum Stephanum vellent tanti operis excusorem, & de Roberto Taurellium allocutus fuerat Arlenius; at Metellus de eo rumore certior factus, atque ab Augustino excitatus ad ejus editionis curam suscipiendam, sic ad Augustinum pridie idum Aprilis: *sed hoc unum tibi plane possum polliceri, me, si Lælius tamdiu differet evulgationem, omni labore, opera, cura, studio, diligentia curaturum, ut quam emendatissime a Frobenio, viro diligentissimo, pandectæ florentinæ, me præsente, & scriptorum negligentiam corrigente, describantur.* Et paulo post ea subjungit de Roberto Stephano, atque Frobenio, quæ nos modo retulimus, additque præterea: *si tamen instabit Lælius de Roberto, ei omnia me sua facturum causa, meis verbis recipito* (b). Detulit hæc omnia ad Lælium Augustinus XVI

(a) Epist. 46 (b) Epist. 83.

Kalendas Maji, sed nihil neque cum Roberto, neque cum Frobenio confectum fuit. Interea Priscianensis romanus typografus hujus editionis laborem sibi postulavit, obtulitque se & hæc, & alia diligenter editurum. Quare Augustinus III nonas majas ad Taurellium scribit: *de Priscianensi librario viris studiosis omnibus gratulor; nam & pandectarum scribendarum diligentia, & jurisconsultorum græcorum munus maximum lucem horum temporum tenebris afferrent* (a). Sed hæ omnes a Priscianensi oblatæ conditiones, spesque florentinorum in fumum abiere; atque ad aliorum operam quærendam converti necesse fuit. Thomas Juncta pollicebatur Augustino operam illius germani typographi, cujus litteris in recenti sui operis editione usus fuerat; quod postridie iduum Septembris retulit Taurellio Augustinus. Cui ille subito IV Kalendas Octobris ita respondet: *habebamus Franciscum Priscianensem typographum romaniensem non ignobilem, qui officinam ad hoc ipsum huc translaturum se pollicebatur. At ducis ad Cæsarem salutandum iter, mox turcarum classis incursus, item ipsius ducis valetudo incommoda in causa fuerunt, ut ille aliis conditionibus rebus suis consulere sit coactus. Videri autem poterit de germano illo, quem scribis.*

(a) Epist. 66.

Verum qui fieri poterit, ut, absente me, sub alienis oculis boni quidquam confici possit, cum in libellis tuis, tanta tui ipsius diligentia, peccatum sit tamen (a)? Quemnam vero dicemus fuisse illum germanum? Frobeniumne? Sed quidni illum proprio nomine vocet Juncta, uti aperte appellavit Metellus? an Torrentinum, qui demum Florentiam venit, & desideratum opus peregit? An alium quempiam, quem nos modo non novimus? Quisquis vero ille fuerit, nihil eo tempore confectum fuit. *Interea*, ait Taurellius, *moræ non erit inutile compendium. Recognosco enim jam tertio digestorum libros, Francisco filio ex florentino codice recitante, me vero, siquæ prius fugissent, reponente. Addam & dictionum, quæ varietatem, aut obscuritatem recipiunt, explicationes fortasse, & quædam alia (nisi me occupationes transversum agant) non incommoda*. Ubi videmus singularem Lælii diligentiam, cum tertio saltem digestorum libros recognoscere voluerit, antequam eorum editionem aggrederetur. Atque hic insuper libet observare id quod multis profecto novum adveniet. Nimirum quod recentiores in aliquibus præteriti sæculi typographicis editionibus, Virgilii Medicei, & Bibliorum Alexandrinorum, aliisque similibus tantopere mirantur, per-

(a) Epist. 95.

fectam scilicet in litterarum, & apicum figura, in aliisque omnibus editorum exemplarium cum manuscripto similitudinem & conformitatem, id jam ante medium sæculum XVI Taurellium animo concepisse videmus. *Mihi quidem*, ait ille, *propositum erat non solum verba, & eorum contextum, ac seriem, sed & litterarum figuram, ubicumque per apertissimos errores non impediar, repræsentare* (a). Non erit, spero, molestum lectoribus nosse quid Augustinus ad omnia hæc Taurellii capita respondeat: *illud solum molestum fuit, quod de retardanda pandectarum editione scribis ... Te vero jam tertio in eadem comparatione versari, ut nihil non omnium oculis repræsentari possit, vehementer sum admiratus. Laudo autem maxime præclaram istam diligentiam tuam; sed quod ad similem scripturam pertinet, vide, ne ista res omnium librariorum studia frangat. Multorum enim sumtuum, maximorum artificum, summi laboris, & nescio quam necessarii, minime quidem certe vendibilis est, & quod facile opes nostras frustrari possit. Id vero ut obscuris dubiisque locis, & mancis fiat, censeo. Abs te autem lectores admoneantur, quibus litteris, quoque modo scriptus totus ille liber sit. Addita omnia, & immutata iisdem obelorum, & diplarum &*

(a) Epist. 95.

liturarum notis, si videatur, exprimenda sunt. Manca vero loca, quæ sine ∩∩ *littera, sive cordis figura notata sunt, item alia, quæ tu facile deprehendes, similibus notis ut scribantur, perplacet. Horum autem locorum, & aliorum interpretationes cum iisdem libris conjunges. Scis enim te jamdiu hoc munus jurisprudentiæ debere* (a). Sed neque de hoc typographico apparatu, atque hac, ut ita dicam, libraria luxuria potius quam diligentia & accuratione, verbum ullum amplius additum a Taurellio, neque per totum triennium hoc editionis negotium rursus in scenam prodire in hisce epistolis videmus. Nimirum decrevit dux Cosimus, ut Florentiæ videlicet, neque usquam alibi, illa editio perageretur, quod typographorum studia retardavit, & rem ipsam silentio obvolvit. Demum anno 1546 XIII Kalendas Septembres scribit ad Augustinum Taurellius: *pandectarum editio, postquam princeps alibi quam Florentiæ negavit, miro silentio transacta est. Quærebatur tamen typographus, qui officinam hic instrueret; atque interim Gryphius per novos quotidie nuntios appellare me non desinit, quos omnes ego ad principem rejeci; inter quos Æmilius altero abhinc mense accurate ipsum allocutus responsum non tulit* (b). Sed non idcirco a quærendo

(a) Epist. 73. (b) Ep. 100.

typographo cessabatur, & profecto brevi post tempore inventus est. Nam pridie Kalendas apriles anni 1547 scribit rursus Taurellius: *Laurentius typographus jam hic domum conducit, bombycinam chartam curat*, (*bombycinam chartam* dicit, quæ *linea* dicenda fuit), *cætera molitur, ut mense majo cum familia, & officina adfuturus* (a). Hic enim vero est Laurentius Torrentinus, qui e Belgio decedens ad suscipiendam pandectarum editionem, tantopere a viris eruditis post Augustini *emendationes* desideratam, Florentiam migravit, ibique domum & officinam statuit, donec susceptum opus conficeret. Quo tempore, uti ego arbitror, cum Mendoza regis sui jussu Venetam legationem dimittere, & superiores alias aggredi cogeretur, Arlenius bona venia, & honesta missione donatus, Torrentino se comitem addixit, & vir græce latineque doctus typographicæ editionis correctioni operam suam navavit. Tot, tantaque de celebri illa pandectarum florentinarum editione scripta sunt, tanta plurimorum approbatione, nonnullorum etiam reprehensione (b) Brencmanni liber de illis pandectis exceptus est, ut sperare nobis liceat non injucunda fore lectoribus quæ hic a nobis adducta sunt. Neque gravabuntur fortasse animum aliquantisper attendere ad ea, quæ

(a) Epist. 101. (b) Gronovii ad Magliabecchium Ep. etc. Belgarum Tom. II. p. 233.

ad Surium, atque Calenium de conciliorum editione scribit Augustinus; nam & inde quæ fuerit illis temporibus typographorum conditio amplius innotescet. Verum de typographicis satis.

Grammatici item, & critici invenient quibus exspatientur in hortis. Nam ea omnia quæ ab Augustino ad Taurellium scribuntur de *Proconnesi* dictione in fere omnibus pandectarum exemplaribus sive manuscriptis, sive typis exaratis perperam expressa, criticum Augustini judicium declarant(a). Quid illa quæ a Petro Victorio quærenda Taurellio proponit de Columellæ loco in libro III circa numerum sestertiorum in vineæ emptione & fructibus æstimandis, & de alio item, ubi Victorius scribit: *genitur;* uti de alio etiam Catonis loco(b)? Sed quanto majoris pretii videri illa debent quæ Victorius & Augustinus de Tullii loco in II Philippica emendando acute admodum amiceque decertant(c)? Tota epistola Taurellii ad Metellum, quæ ad loca quædam epistolarum & orationum Tullii de procuratoribus, & sponsoribus, & debitorum solutione explicanda spectat, tota, inquam, critica & hermeneutica est(d). Multa etiam eleganter eruditeque disserit Augustinus, ut probet in plerisque juris-

(a) Epist. 51. 54. (b) Epist. 58. (c) Epist. 104. 105.
(d) Epist. 103.

consultorum locis ἀφήλικος græcum non *impubi* sed *minori* latine respondere (a). *Adærari* verbum, quod mendosæ cujusdam græcæ constitutionis lectioni substituerat Taurellius, antiqui sed parum noti codicis Collegii S. Clementis hispanorum authoritate confirmat Augustinus (b). Luciani locum de calumnia explicat Metellus, verbumque μονομερὴς interpretatur (c). Plura alia in latinis epistolis, & frequentiora etiam in italicis invenient grammatici, quæ non minori voluptate quam fructu lecturos spero, a quibus nos abstinemus, ne præfationem hanc, quæ profecto jam modum excessit, in infinitum protrahere videamur.

Unum tamen ad extremum adjicere nobis liceat. Majansius ad finem eruditi commentarii *de Antonii Augustini vita* vehementer dolere se ait, quod litteras Pauli IV in Antonii Augustini commendationem videre nequiverit. En ejus verba: *Illud profecto nos etiam atque etiam dolemus, quod ne librum quidem videre potuimus quo continentur litteræ diversæ Pauli IV in forma Brevium in commendationem Antonii Augustini Episcopi Aliphani Nuntii apud Ferdinandum Romanorum regem, ad ipsam majestatem scriptæ, ac ad alios principes pro variis negotiis. Nam cum ego quidem novis-*

(a) Epist. 60. (b) Ibid. (c) Epist. 87. 88.

sem, eum librum apparere in indice librorum Antonii Augustini, qui manu latine essent scripti, mihi statim in mentem venit eum reperiri debere in Laurentiana regis bibiotheca, atque illo diligenter quæsito, ibi revera esse cognovi. Itaque ut libri exemplum habere mihi liceret, amicum hominem, qui meis favere rebus consueverat, adhibui. Enim vero inclementiore utebamur fortuna, atque nostrum frustra cessit desiderium; resque publica multis illa quidem carebit, quæ ego certe ex eo eruissem volumine, ut hosce meos illustrarem commentarios. Atque utinam testimonia nobis innotuissent, quæ Paulus IV Pont. Max. Antonii Augustini virtuti, scientiæ, prudentiæque dare non dubitavit. Atqui hæ litteræ Pauli IV in manu nostra sunt, quas nobis ex Alterianæ bibliothecæ codice VII. E. 3. describere licuit. Imo & aliud item monumentum ad Augustinum spectans ex eodem codiee depromtum penes nos extat, commentariolum scilicet italicum, seu libellus mandatorum Julii III, in quo de iis admonet Augustinum ad britanicam legationem abeuntem, quæ maxime cum Carolo V imperatore, & Hispaniarum rege in Belgio tunc degente ipsi essent agenda. Ergo ne hispanus aliquis, aut quispiam alius Antonii Augustini nominis amicus, doleat hisce se monumentis carere, & italicum commentariolum Julii III, & litteras Pauli IV in forma

Brevium nos hic in lucem proferemus, & hanc quasi coronidem Augustini epistolis & latinis & italicis apponemus.

ANTONII
AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS
EPISTOLAE LATINAE
ET
NONNULLAE ITEM ALIORUM
AD IPSUM

EPISTOLA PRIMA.

ANTONIUS AUGUSTINUS JACOBO MENDOZÆ LEGATO S. P. D.

Maxime vereor, ne tibi molestior fuerit mearum litterarum retardatio, quibus mei adventus te fieri certiorem oportebat, quam jucundum, cognoscere me salvum idibus Bononiam venisse. Non quod pro tuo erga me amore, ut mihi persuasi, singulari non sit grata, ut cui maxime, ejusmodi cognitio: sed quod nescio quomodo aculeos quosdam relinquit molestia, quos non facile est evellere. Sed mihi partim collegæ, familiaresque mei, quibus de te, istaque urbe, & (si diis placet) tota Castri novi expugnaione (a), quæ ignorabam, millies dicere cogebar, partim libri mei, quos expectatissimos vidi, impedimento fuerunt, quominus per eos ad te hisce diebus scribere licuerit. Huc accessit, quod ad quem dem litteras novi. Nam cui vix unus, aut alter majorum quasi gentium linguæ latinæ auctores sane quam accuratissime dicentes satis faciunt, quis quicquid in buccam venerit dicere audeat? Itaque cum otii nonnihil ad hæc excogitanda habui, his

(a) A Turcis facta sextili mense anno 1539.

te litteris certiorem faciendum censui & mei adventus, & alacritatis, quam tibi acceptam fero, ad studia hæc urgenda; quorum si unquam fructus percipere licebit, tu quidem tuo jure maximam partem vendicabis. Interea ea a me opera dabitur, ut nemo me mihi defuisse dicere possit. Quod reliquum est, ad te crebro scribam, si mihi rescribendum aliquando putaris: qua tamen in re non ero pertinax, quippe qui & negotia, & studia tua, colloquiaque cum Galcerano nostro, quibus nihil est præyertendum, optime norim. Vale, & me, ut amas, ama. X. Kal. Octob. Bonon.

II.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JACOBO FURTADIO MENDOZÆ LEGATO
S. P. D.

Dedi ad decimum Kalendarum ad te litteras, quibus te mearum omnium rerum feci certiorem. Nunc ea de causa scribo, quod ii proficiscantur ad te, qui mihi familiaritatis, & studiorum conjunctione sint conjunctissimi, qui cum te studiosissimos quosque magnifacere, me vero, meaque omnia a te, quæ tua est humanitas, plurimi fieri cogno-

vissent, a me contenderunt, ut si quid utraque de causa possem eos apud te commendare, id efficerem, daremque operam ut quam accuratissime eos commendarem. Ego vero homines mei amantissimos, & de humanioribus, & civilibus studiis ita meritos, ut paucos habeant in illa ætate pares, multos vero & æqualium, & natu grandiorum inferiores, non commendandos tibi, sed a te potius eos oportere assero ita amplecti, ut semper tuorum beneficiorum meminerint. Erit mihi id quam gratissimum. Vale. VI Kalendas Octobris Bononiæ.

III.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JACOBO FURTADIO MENDOZÆ LEGATO
S. P. D.

Quod Hermangolium, Franciscumque Lopem (a) meos summa sis humanitate tua complexus, ut ex illius sermone, hujus litteris cognovi: maximas tibi eo nomine gratias ago. Quod vero litteris tuis pridie Kalendas Octobres datis te ita animatum esse

(a) Erat is unus ex quatuor, quos semper collegium S. Clementis alit, templi sui sacrorum administris. De hoc sæpius in aliis epistolis.

scribis, ut omnibus in rebus, quas mihi gratas fore putabis, ostendas amorem erga me tuum esse perpetuum, & referam, & habebo quantam maximam gratiam dum vivam potero. Excusationem autem tuam libenter accipio, neque enim essem ferendus, si cum ego ob epistolam illam in ære essem tuo, manus, aut commendationis causa te ex jure manu consertum vocarem: id modo præstes, ut cum licebit, libeat ejusdem generis litteras dare. Ab Hieronymo fratre mirum silentium, cujus uxorem prægnantem esse Petri Joannisque fratrum litteris cognovi, qui tibi plurimum salutis ascribunt (a). Nos hic Kalendas Novembres expectamus, ut ad munus pensumque nostrum revertamur; per quod si otioso mihi esse licebit, habebis frequentiores, & accuratiores litteras; sin minus licebit, raras ac negligentes: erit hoc fortasse vitii addendum ad ea, quæ tu in nostris ordinis viris rides, sed commune tecum & cum studiosis omnibus, ut toti in ea re qua de agitur sint. Ab Alvaro Castellio (b), Giorgio-

---

(a) Hi tres fratres sunt Ant. Augustini: Hieronymus natu major uxorem duxit nobilissimam Annam de Urries. Petrus Episcopus fuit primum Elnensis in Ruscinonensi Comitatu, qui tunc erat hispanæ ditionis, postea Oscensis in Aragonia. Joannes vir fuit ob egregias virtutes magno in pretio habitus.

(b) Alvarus Castellius, collegii S. Clementis socius, logices professor fuit in bononiensi academia, ubi luculentam orationem habuit in D. Hieronymi laudem De eo ep. 5.

que Turrio(a) salvebis, qui te saturnalibus visuros pollicentur. Cura ut valeas. Datæ VI. Kal. Novemb. Bonon. Lopem scilicet, ut cæpisti, tuebere.

IV.

ANTONIUS AUGUSTINUS JACOBO FURTADIO MENDOZÆ LEGATO S. P. D.

Quod te fautorem, & quasi patronum nostrarum rerum cognoveram, feci ante aliquot dies felicis rumoris certiorem. Nunc acceptis ab Hieronymo fratre litteris, quibus nuptias ipsas sororis confectas esse scribit (b), & mandat, ut & te suis verbis salutem, & tanti nuntii cetiorem faciam, id maxime ad te scribendum esse putavi; & quamquam ex cotidianis Francisci Lopis mei litteris scio te lætatum fuisse, nunc te opinor cumulatius nobis gratulaturum, quando rem ipsam cognovimus. Nostris doctoribus dedi hanc hyemem operam non omnino frustra, ut existimo, quos molesta valetudo in-

(a) Fuit hic pariter eiujusdem collegii socius, & anno 1541 rector, ibidem mortuus fuit.

(b) Hæc erat Isabella, quæ nupsit Cardonensi duci Ferdinando.

terpellavit unum & alterum mensem; itaque cum otii plus haberem, & bellam sane ὑπόθεσιν, ad Catulli tui imitationem nuptiale carmen, quod ad te mitto, conscripsi. Velim scire ecquiduam tibi fecisse videar. Qua in re utere illa tua libertate, qua me pro tua humanitate, & doctrina tui expolitissimi de doctissimis quibusque judicii certiorem facere istic solebas. De Rep. ad me aliquando Lopes tuus scribit quædam pervulgata, non audet secretiora, si quæ novit: esset mihi gratissimum, si salva non solum fide, & dignitate, sed etiam sine ulla molestia, ei, aut alii ex tuis eam operam delegares: neque sum ea in re curiosus, sed cupio quæ cognitione digniora sunt, certius nosse. Sed vale: sum enim tibi, ut opinor, in tantis occupationibus tuis molestus. Ad XIV. Kal. Majas Bononiæ.

V.

ANTONIUS AUGUSTINUS

S. P. D.

JACOBO FURTADIO MENDOZÆ LEGATO.

Nescio quo meo fato cum abs te post satis multos menses nihil haberem litterarum, & tu aliquando mihi scribendum putares, litteras ipsas expe-

gratissimas nunquam accepi. Sed accidit optime quod hoc tempore ad te Alvarus Castellius proficisceretur, qui tuto & has tibi, & mihi tuas redditurus est. Eum hominem tibi me commendare non oportet, qui ob ejus probitatem, & litteras jamdiu in ære tuo est. Sed tamen facere non possum, quin, ut hominem de me singulariter meritum, amicitia & sodalitatis religione conjunctissimum juves & ornes, te & orem & obsecrem. Nostrorum studiorum is te certiorem faciet, quorum indicem dialogum affert ad te meum primum eorum, quos *variis & difficilimis de rebus* quinque conscribo(a). Quem si neque tam politum, neque tam eruditum existimaveris, quam esse eum, qui ad te mitteretur, oportuit; meæ mediocritati ingenii, inexercitato hoc in genere lucubrationis stilo, adolescentiæ præterea, quæ, ut ex te accepi, vix potest quicquam præclarum inchoare, nedum perficere, tribuendum putabis. Valetudine adhuc firma diis juvantibus fui, quamvis hic morbi tres menses viguerint cum aliqua civium jactura. Isabella soror post tres a nuptiis menses puel-

(a) Hi sunt inediti Antonii Augustini libri V. Dialogor. *de variis & difficillimis rebus*, scilicet Juris civilis. Hos libros etiam memorat in Epistola ad Bernard. Boleam illis verbis: *quodque præ me semper tuli bonis litteris juris nostri scientiam conjungere, dialogis aliquot quæstiones &c.* et sæpe alibi.

lam male peperit, salva tamen. Quod in bonam partem accipio, ut se malit illa matrem quam citissime Cardonii pueri fieri, quam tot menses puella gravari. Ab fratribus pecuniam cotidie expecto, quam nisi intra aliquot dies accepero, abs te, si sine ulla tua molestia erit, cujus rei me certiorem facies, mutuabor. Ita enim es ante annum pro tua humanitate pollicitus. Sed vereor, ne tibi molestus sim. Vale igitur, & ad me exemplum tuarum litterarum mittito cum iis, quas huic epistolæ rescribens dabis. Ad quartum iduum Quintilium Bononia.

VI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JACO. FURTADIO MENDOZÆ LEGATO
S. P. D.

Fecit is qui ad te has litteras attulit, Hieronymus Osorius, Vir optimus, & optime de divina humanaque philosophia, & utriusque linguæ studiis meritus, cujus consuetudine me hosce quindecim dies privari molestissime ferrem, nisi ad te proficisceretur, fecit, inquam, is, ut ad intermissam scribendi consuetudinem reverterer. Neque enim decere existimabam doctum docto viro plebis indoctæ sermone

commendare, cum is præsertim sim, qui in totius orbis nobilissimis gymnasiis sum versatus, ubi vel ipsi parietes dicendi magistri esse videantur. Quamquam quid dixi me tibi eum commendare? Novi singularem tuum erga doctissimos quosque amorem, tuaque erga me, meosque omnes maxima beneficia nulla posunt oblivione deleri. Fores igitur tantum amicitiæ aperiam, ut aditum is habeat ad te, qui ob eos sermones quos de te apud se habui, desiderat maxime familiaritatem tuam. Tu hominem tam multis & animi, & ingenii, & fortunæ dotibus præditum ita accipies, ut maximas mihi, majores tibi & habeat, & referat gratias. Interea vale: revocant enim me jurisconsulti mei. Data VII Kalendas Majas Bononia.

VII.

A. A. JACOBO MENDOZÆ S. D.

Si quantum cognoscendo earum rerum pondere valemus, quas aggredimur, tanta aut ingenii, aut temporis, aut librorum, & aliorum auxiliorum facultas esset; non ita magna aut Tu, cui ego nostra maxime probari velim, aut cæteri, qui nostris libris operam dant, delectatione, atque ope carerent. Sed & si ad eadem hæc doctissimorum viro-

rum quisquam (quos permultos nostra tempora habent) oculos adjiceret, maximumque vulnus præclaræ huic parti juris illatum curaret, manus fortassse abstinerem ab institutis cognitionibus. In aliud quoque tempus easdem differrem, si sperarem me aut hæc ipsa majori otio, aut alium quemvis aliquando accuratius esse traditurum. Ut tamen cætera forsitan præstarentur, non ingenui hominis esse videbatur interea his ipsis opibus nostræ professionis homines privare, quas majori fortasse felicitate amicorum, quam curæ, atque ingenii laude consequuti sumus.

Itaque hunc ipsum Novellarum Constitutionum Justiniani librum, quem Gregorius Haloander præclare de nostræ scientiæ libris meritus,& græce ediderat, & latine converterat, quantum illi per græcum codicem licuit non indiligenter, nunc nos permultis legibus, & græcis & a nobis latinis factis, locupletatum juris studiosis tradimus. Accedit Juliani Antecessoris Byzantini Epitome, quæ sola ab Accursio, Gratiano, & cæteris ejusdem temporis Novellarum nomine appellatur, cujus & elegantia, & brevitas mira digna erat Justiniani ipsius auctoritate. Bulgari vero illam, sive, ut arbitror, monachi cujusdam, quod Irnerius significare videtur, interpretationem, cum Juliani, & Haloandri verbis conjunximus: ut omnibus satisfacerem, illis præsertim

qui a docto quodam poeta recentis temporis eruditos viros contemnentes exprimuntur:

Vel quia nil rectum nisi quod placuit sibi ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere senes perdenda fateri.

Et sane cum tam multis libris ejus interpetrationis mentio fieret, ne doctorum virorum lucubrationes, a quibus adiuvamur, neglectæ esse viderentur, hac quoque in parte nonnihil curæ adhibuimus; tum ut vnlgaris hæc interpretatio diligentius scriberetur, quam a cæteris factum est, tnm ut cæterorum verbis nostra nonnunquam cura apertius quid dicatur ab omnibus intelligeretur. In græcis autem verbis, quæ Haloander (ob ejus exempli menda quod Ludovicus Bononiensis ex Dominicana bibliotheca descripsit) multis modis mendosa edidit, multum laboravimus. Neque enim ignoras, me dum nostrarum emendationum atque opinionnm libelli isthic ederentur, per te fuisse consecutum, ut ex Marciana ista singulari Bessarionis bibliotheca, domi tuæ, cum multæ eruditionis viro Arnoldo Arlenio Peraxylo, alio etiam græco librario adhibito, veterem quemdam τῶν νόμων librum contulisse, ex quo permulta describenda curavimus, quæ nunc in vulgus edimus.

Per te etiam isthic Juliani Epitomen a docto quodam viro optimo causarum patrono Lugduni

conscriptam consecuti sumus; quam postea ex Andreæ Alciati præceptoris veteris libri exemplo (quo nos Jo. Metellus noster donavit) permultis mendis expurgavimus. Lælii quoque Taurellii doctissimi viri ope aliud Novellarum exemplum ex Marcianorum sodalium bibliotheca Florentia allatum ad nos est. Quod licet non ita plenum esset, atque illud Venetum Bessarionis; tamen juvit eam ob causam maxime nostras operas, quod certo sciamus ex eo Lud. Bononiensem describendum curasse id exemplum, quo Haloander ipse usus est. Quo adhibito cognovimus, quænam illa essent, quæ Haloander de suo addidisset, veteris interpretis latina verba secutus: fuit enim vir ille audacior nonnunquam, quam in bonorum librorum editione opus est. Quod nos & in pandectis & in hoc libro permultis locis deprehendimus.

Horum trium librorum varietatem, Norici, Veneti, & Florentini, maxima diligentia persecuti sumus. Nam cum hujus voluminis initium, & quasi fons quidam incertus sit; non licet nobis idem quod in pandectarum Tuscarum insigni illo monumento facere. Sed lectores judices esse volumus melioris scripturæ. Atque ea maxime de causa tam multis usi sumus & libris, & interpretibus, ut ex his omnibus doctis, indoctisque Justiniani sententia constare possit.

Fuimus vero, ut arbitror, amicorum auxiliis fortunati, ut ex tam præclaris doctissimorum virorum muneribus in libertatem hi libri vindicarentur. Sed quoniam ita omnibus fere in rebus evenit, ut quæ nostra est humanæ imbecillitatis conditio, nihil possit tam accurate diligenterque tractari, quin multa multis de causis inchoata potius, quam perfecta jure appellentur, indicem huic epistolæ subjiciemus earum constitutionum, quæ unicuique horum trium interpretum defuerunt, quæque adhuc aut græcæ aut latinæ desiderantur. Eas poterunt alii investigare. Neque enim dubito alios extare veteres Novellarum codices: atque scio neutrum horum duorum librorum, quibus ego usus sum, fuisse a barbaro illo interprete conversum. Latinum exemplum Juliani, & veteris interpretis plenius inveniri posse reor, ut ex aliquorum juris interpretum scriptis constat. In quibus aliorum labore libenter fruemur. Ex ipsarum vero constitutionum lectione lector cognoscet, eas Justinianum minime collegisse, sed per se singulas, novis causis excitatum, constituisse, veteris juris supplendi aut corrigendi gratia; eaque de causa variare nostrorum librorum ordinem, quem tamen nos intra Veneti libri fines, qui omni fere ex parte cum Florentino conveniunt, continendum esse putavimus, sed & ipsam ordinis varietatem non uno in loco significabimus.

Desiderabit aliquis fortasse in Accursiana interpretatione latinam linguam, in Haloandro, ob mendosos libros, veri interpretis fidem, in Juliano pleniorem explicationem, in nostris rebus eruditionem græcarum præsertim litterarum, quarum nos, etsi non rudes, tamen non ita periti sumus, ut non aliorum laboribus indigeamus. Sed tamen si nostrum unusquisque omnem operam atque studium in juvandis studiosis nostræ disciplinæ adhibuerit, si a cæteris item cætera, quibus nos caremus, in commune prodeant, nihil erit quod ulla ex parte desideretur.

Et ut possim alios excitare ad exornationem nostræ disciplinæ, scire velim omnes nostri ordinis viros, hunc ipsum græcarum Constitutionum librum ante ipsum, ut opinor, Julianum (qui multis sæculis Bulgari ætatem præcessit) latine scriptum fuisse. Testis est Gregorius ille Pontifex Max. cujus virtutes consecratas colimus; apud quem non pauca ex eo relata invenimus, quæ in nostris quoque pontificiis libris extant. Fuit autem is non multis annis post Justiniani imperium, &, ut idem ait, græcam linguam nunquam didicerat; ne quis eum fuisse illorum verborum interpretem arbitretur.

Ejusdem interpretis esse arbitror eam constitutionem quæ in concilio Chalcedonensi reperitur, quam totam suo loco tradimus. Item aliæ quæ ab Accursio, Alberico, & Gratiano aliis locis repe-

riuntur relatæ. Illud potius crediderim, hunc librum (a) in romanis studiorum civilium gymnasiis (quæ cum byzantinis, & berytensibus Justinianus ipse sola reliquit) latine conversum versari solitum: in eisdem Julianum aut ex græca persimili epitome, quæ in nonnullis Novellis extat, quam arbitror a Theodoro aut a Symbako (b) (ita enim accepi) esse conscriptam, aut ex integris ipsis legibus suam epitomen confecisse. Juliani tamen librum, ut pote breviorem, & nostris studiis aptiorem, illum alterum superasse temporis memoria videmus: hunc postea eadem passum naufragia Irnerii, atque Bulgari temporibus. Nam ut nostri veteres interpretes obscure significant, Alciatus vero noster apertius memoriæ tradidit, cum Juliani hæc epitome, novellarum nomine, circumferretur, & esset qui græcum hunc τῶν νεαρῶν librum haberet, visum est dare operam, ut latine redderetur inepto illo dicendi interpretandique genere, quod tunc solum vigebat. Itaque singulorum verborum significatione prodita eum librum, uti majoris auctoritatis, & quasi cæterorum exemplar, authenticum appellarunt; qui cum ab illorum temporum interpretibus,

---

(a) Scilicet græcarum constitutionum novellarum librum latine scriptum.

(b) Thodorum Hermopolitam græcum Codicis breviatorem novimus; quisnam vere hic Symbakus?

repugnante tamen Irnerio, reciperetur, eidem Irnerio, aliisque commissum est, ut Juliani, & Monachi illius interpretatione in novem libris constitutionum veterum interponerent quid Novellis suis constituerit. Tum illæ proditæ sunt Authenticæ Constitutiones, ita enim appellarunt, quas in Justiniani Codice habemus, opus utique non aspernandum; etsi possent eadem nunc accuratius ex his libris conscribi, aliisque non paucis legibus plura addi, quam ab illis factum est.

Nos vero interea ex quibus locis hæ constitutiones perceptæ sint, operæ pretium visum est indicare. Sed & adjecimus eas constitutiones, quarum mentio ab Justiniano fieret, modo eas extare crederemus; qua in re Accursii & cæterorum interpretum libris adjuti sumus; nonnihil etiam Codice Theodosiano, cui persimilis Novellarum Theodosii, Valentiniani, & Marciani collectio adjecta est. Nam ad Theodosii exemplum constitutionum collectione facta, recentiores leges *Novellas* Justinianus appellavit. Quod nomen initio posterioris editionis Justiniani Codicis futuris legibus imposuit, idque nomen elegantioribus latinæ linguæ temporibus usurpabatur. Nam Cicero libro V de finibus ita scripsit: *Vivere vitem, & mori dicimus, arborumque & novellam, & vetulam, & vigere, & senescere.* Virgilius quoque in rusticorum carminibus:

Tum credo cum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce novellas.

Ita etiam Alphenus ait cap. 8 de fundo dotali, *virum in fundo dotali olivetum succidisse, ut id novellum reponeret*; & Paulus cap. 6 de impensis, *Utiles esse impensas, si maritus in fundo novelletum fecisset*.

Illud tamen prætereundum non est, harum constitutionum numerum, ut de ordine etiam questi sumus, varium fuisse. Nam licet nos Bessarionis, & Florentinum exemplum secuti, CLXVIII Constitutiones conscriptas fuisse notaverimus, in his tamen quatuor Justini minoris, tres Tiberii Constantini, item tres Præfectorum Prætorio sunt. Ex quo apparet, post Justiniani mortem earum collectionem, quæ nunc græce extat, factam. Apud Matthæum vero Monachum, qui Pontificiorum Conciliorum regulas græcas collegit, CLXX fuisse reperio. Multo vero minorem numerum in Juliani Epitome, & Accursiano libro. In Florentino quoque, quem Haloander secutus est, licet numerus conveniat, tamen permultæ constitutiones omissæ sunt, ex quibus nonnulla his quæ extant inserta videmus. In hoc tamen libro adnotatum non erat, quas Julianus, quas etiam Tiberius edidisset, nisi quod in tribus postremis, vel duabus potius (nam tertia dimidiata esse videtur) quas Præfectorum fuisse diximus, id

significabatur. Quamobrem ego existimaveram, & Justiniani tempore aliquot collectas, & post ejus mortem alias additas, quod intra hunc nnmerum, & ordinem Veneti libri constiterint. Sed & illud sciendum est, quod idem Matthæus, & Constantinus Harmenopulus scribunt, Leonem Imp. per Sabatium equitum magistrum (ita enim placet *protospatharium* interpretari) ex quinquaginta Digestorum, & duodecim Constitutionum libris, item Justiniani, Justini, Tiberii, ac cæterorum Novellis LX libros τῶν βασιλικῶν, ita enim inscripsit, confecisse. Eumdem Leonem CXX Novellas Constitutiones scripsisse Matthæus refert, nos vero ad CXIII in Veneto illo Bessarionis libro vidimus; quas quoniam nostris temporibus non magnæ auctoritatis fore credidimus, eas describere, atque edere neglеximus. Illud tamen Leonis LX librorum volumen, quod Romæ esse audio, & Viglius, vir doctissimus, se habuisse fatetur, Basilici nomine, effecit, opinor, ut pleraque in his libris immutarentur. Cum enim græci Juri Civili operam darent, Leonis Collectionem sequentes, quæ ex his tantum legibus constabat, quæ in judiciis obtinebant; etsi Novellæ hæ Justiniani extarent, tamen ad illius libri scripturam, ut existimo, deducebantur. Hinc illæ variantes Florentini, & Veneti libri manarunt. Est enim Venetus ea de causa plenior, quod nihil fere, aut admodum pau-

ca habeat a veteri scriptura immutata ; quod contra in altero est. In utroque tamen adjectum sæpe extra ordinem litterarum est, quo loco eadem constitutio in Basilicis libris reperiatur, itemque ipsa constitutio, & quamobrem illic scripta non sit, & alia præterea, quæ nos omnia pene in his libris addimus, ut si aliquando LX libri Leonis edantur, usui esse græcorum interpretum labores possint.

Et quidem quando in hujus libri mentionem incidi, non hac solum de causa eos libros publicari cupio, ut hic ipse Novellarum legum liber & plenior, & clarior fiat, sed ut cæteræ græcæ constitutiones, quas XXX amplius numero in Justiniani codice deesse scimus, reperiantur. Ex quibus unam ex eodem illo Veneto descripsimus Zenonis ad Amantium P. *V. de ædificiis privatis*, cujus & in Latino Codice, & in novellis non uno in loco mentio fit, quam tantisper intra privatos parietes continebimus, dum ei ornamentorum aliquid quæsiverimus. Ex eodem libro XIII Justiniani Edicta huic libro conjungimus, & Justini minoris, & Tiberii Novellas aliquot quæ nemo jure aspernabitur. Sacras vero Præfectorum Prætorio formas, tum alias Tiberii, & Irenes, & Constantini Novellas, temporum vitio ex eodem libro sublatas, ex indice quodam animadvertimus. Atque etiam ex Florentino quatuor Novellas intra hoc triennium esse sublatas

scimus, quas nos ex ejus exemplo quondam descripsimus. Item illas Alexii, Porphirogennetæ, Michaelis, & aliorum recentiorum Imperatorum Novellas, ques Haloander habuisse se ait; in quibus docti cujusdam interpretis de filiorum familias peculiis, & testamentis, atque de privilegiis creditorum, & qui potiores habeantur, & de præscriptione sacrarum ædium, quæ aliquando in vulgus edemus.

Et ut facile liceat horum interpretum utilitate frui, eosque & inter se, & cum græcis legibus conferre, Constitutiones singulas in aliquot capita divisimus, numerosque similes singulis interpretibus adhibuimus. Item vulgarem divisionem non negligentes, grandioribus litteris singulorum capitum initia notavimus; quo possimus facile quæ apud Accursianos interpretes relata sunt reperire. In separatione autem hac, & capitum numeris seqnimur, dum licet, duo illa quæ habuimus exempla, in quibus aliquando id diligenter notatum est; cum vero illis deficimur, Juliani Epitomen, quam ex Alciati nostri libro habuimus, in qua non solum singula capita separantur, sed & tituli quidam breves ipsis partibus inscripti sunt, quos nos non prætermisimus. Et sane a græcis ita hæ Constitutiones referri solent, ut Novellæ & capitis numerus significetur; quod ut a nobis usurpetur, vehementer probaverim.

Quod nisi nobis molestæ occupationes impenderent; omnium harum legum interpretationem facere, fuerat in animo. Sed tamen, iniquis spatiis exclusi, contenti fuimus eo labore, ut Haloandri & veteris interpretis verbis nostra, quæ substitui possent, adderemus, quo clarior Justiniani sententia fieret. Addidimus etiam quasdam ad Irnerium notas. Item variarum opinionum, exemplorum, & interpretationum excursiones breves. Neque ea omisimus quæ in Veneto libro reperimus σχολια, quibus & similium, & abrogatarum legum, & abrogantium mentio fit, quod nos quoque diligenter persequimur.

Illud pætereundum non est, Constantinum Harmenopulum, & Matthæum Monachum, auctores esse, ea de causa in his legibus Justiniani constantiam rerum, atque verborum claritatem, atque ordinem desiderari, quod cum ad Triboniani nutum leges omnes fierent, isque eas venales (si Diis placet) haberet, partim varias, ut emptoribus satisfieret, partim obscuras, & ambiguas, ut interpretationes quoque ei lucro essent, confecisse. Omnibus autem rebus eum, qua erat animi atque ingenii facilitate, novas rationes, & causas addidisse. Sed mihi licet reprehendendus Justinianus videatur in tanta legum varietate; tamen magis placet ejus facilitati imputare, quam Triboniani avaritiæ.

Neque est quod maxime miremur magnam hujus libri varietatem, cum eo contineantur quæ XXVIII aut XXIX annis ille constituit. Nam Constitutionum codices duos, Institutiones, atque Digesta nono ejus imperii anno confecta fuerant. Quod si in illis libris permulta de iisdem rebus varie sancita sunt, minime mirum videri debet, in hac quoque temporum occasione variatum. Quod vero ad obscuritatem, & ambiguitatem attinet, non probo eorum sententiam. Est enim hic liber copia quadam dicendi verbosior, ipsaque illa earumdem sententiarum repetitione omnia explicantur, vetus jus refertur, cur singula aut mutentur, aut constituantur, rationes redduntur. Ipsa denique legum proœmia, atque periodi nihil non lucis, & claritatis addunt. Quod si quis hoc ipsum reprehendit, quod hæc verbosius tradantur, quam in cæteris libris fiat; primum consideret velim, has leges integras proponi, & per se editas fuisse, illas multis modis & ante Justinianum ab his, qui cæteros codices conscripserunt, & ab eo fuisse mutilatas, id vero ex Theodosianis legibus inspicere licet, post quas Novellæ quoque extant, quas dixi, Theodosii, & Marciani his nostris similes, utpote post illum codicem per se editas. Jam vero ne post tam multos Jurisconsultorum, & Imperatorum libros, post tantam Justiniani veterum legum varietatem, brevitas ea

legum claritati noceat, non est quod verborum multitudo necessaria reprehendatur. Et cum his legibus veterum legum emendationes contineantur, ut recte initio hujus libri in Bessarionis libro additum esse vidimus, mirandum non est, si rerum, ac temporum perturbationem hoc pacto effugimus.

Hæc sunt, mi Mendoza, quæ continentur hoc libro, qui tibi, cui dicatur, magna ex parte debetur. Est etiam in manibus *De Jure Pontificio* ante multos dies opus inchoatum, cui, si mihi otioso in urbe esse licebit, quo tua opera & consilio quam primum cogito, Pontificia Biliotheca inspecta, manus extrema accedet. Genus autem hoc studiorum (ut & libris utamur emendatioribus, & ad interpretationem aliena lingua scriptorum, aut ejusdem cognitionem adhibeamus, aut quod ei proximum est, peritis interpretibus operam demus) scio te minime esse reprehensurum; cum te ipsum noverimus ex græcis, latinis, atque arabicis libris, quos tu ex omnibus totius fere orbis regionibus e tenebris, ac vinculis in lucem, ac libertatem vindicasti, peripateticorum disciplinam, quam optime calles, Aristotelis tui libris (passis iterum veterem illam Strabonis cariem) emendatis, exornare. Quod si tu qui non solum Venetiis, sed in toto fere Quinti Caroli Cæsaris Imperio omnium rerum ac consiliorum administratione es occupatissimus, studiis Philo-

sophiæ, cui tu, ut cæteris disciplinis, delectationis causa operam das, opem ipse ferre non indignum tua dignitate esse ducis: quid nobis fiet, quos vel Juris interpretum nomen, vel Jnris consultorum admonere debuit, tum ut interpretationem ipsam juris præcipuam esse nostræ scientiæ partem putemns, tum etiam ut qui ab aliis cousulimur, qui nostram opem desiderant, ipsis Jnris libris tandem aliquando consulamns? Sed quoniam excessimus epistolæ modum, huic libro denique te velim patronum constituas, qui si indignus per se tuo auxilio erit, at quod sit is a me ad te missns, tnum esse necesse est. Vale. Kalendis Sextilibus Bononia post Christum natum MDXLIV anno.

VIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Cum Bononiam XIV Kalendas Quintil. pervenissem, nihil antiquius habui, qnam Cornelium tuum(a), convenire, eique tuas litteras, meque dare, qui & mihi gratulatus est, quod te possem

(a) Is es Cornelius Mussus, in bononiensi academia theologiæ professor, magni nominis eo tempore concionator.

præceptorem laudare, & tibi, quod utraque in lingua multos habeas, habiturusque sis discipulos. Hinc nobis de te ortus est sermo, neque finem fecimus, quoad prædibus, prædiisque uterque alteri cavit, facturum curaturum se, Bononiæ te quamprimum sistere, & ut ne condiscipuli nostri huic decreto intercederent, novi enim quam facile ii obstrepant, quorum non comes, sed dux M. Tenes noster sit, eorum etiam ratio habita est. Sed remoto joco, tu eis salutem dices, & ad me crebro (si sine molestia tua facere poteris) scribes. De Repub. nihil sane novi præter illas nobilissimas inducias a vobis quid Venetiis, quid Vicentiæ novi decernatur expecto. Cura ut valeas. Bononiæ Kalendis Quintilis.

IX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων ; adeo mihi tuæ gratissimæ fuerunt litteræ, cum ego nescio quas dedissem, nihil minus quam, quod tu ais, eruditas, sed tu, ut soles, & doctas & faciles & amoris plenas. Hoc modo displicuit ; quod videbare Tenem ne-

scio quem, a Tenedis solis appellatum deum, Augusto inter deos communi omnium gentium ore relato, prævertere. Illum una insula, & ea insula, quæ nunc tantum sinus, & statio male fida carinis; hunc amplius jam mille & quingentos annos veneramur, cujus nomine sextilis mensis, meaque Cæsaraugustana Urbs, ipsique Cæsares imperatores sacrantur. Sed jam te puto manus dare, & hic cogitare cum Cornelio nostro, qui tibi plurimum salutis dicit, & se quamprimum ad vos iturum pollicetur. Ego ante Kal. Novemb. te expecto non solus, sed sunt etiam nonnulli, qui tui expectatione tenentur, quam ego concitavi. Advola igitur, sed interim Tene tuo utere, quem saluta meo nomine, & cæteros tuos discipulos. Vale præceptor. Ad X Kalend. Sextilis Bononiæ.

X.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Longo sane intervallo venio ad epistolam tuam, quod te cum Marco nostro rusticantem nolebam intempestivis litteris offendere. Nunc quoniam (ut opinor) Patavii es, non est quod verear, futuras mo-

lestas; præsertim cum quæ ad te, tunmque Cornelium attinent in es scripta sint. Nam is (si forte nescis) Romam ire coactus est(a): cum enim essent inter eum & sodalitii præfectum simultates, ut publice divinam humanamque philosophiam doceret, accersitus est. Idque cum adversarius moleste ferret, non conquievit, quoad gratiam, ut sibi ipsi persuaserat, referret. Montalcinum enim nescio quem ejusdem ordinis, hominem acrem, & confidentem, eisdemque in litteris satis versatum, in id insaniæ compulit, ut palam is & in concionibus cotidianis, & propositis libellis nostrum Cornelium male de religione christiana meritum ausus sit profiteri. Quid quæris? non deerant creduli, vel potius invidi Cornelianæ gloriæ, hujus perditissimi hominis fautores: sed vicit tamen ea, quæ sæpius solet, bonitas & integritas. Nam cum se ille tres totos menses venditavisset, ecce tibi Campegius, qui hujus Diœceseos sacris est præpositus, hominem in carcerem, quo jam diu dignus erat, conjecit. Hic ille, cujus consilio omnia erant gesta, ut hunc periculo liberaret, operam apud crucialem flaminem dedit, ut

(a) Quid illud negotii sit, quod Cornelio Musso facessere tentabant sodalitii sui, idest, ordinis, ut ajunt, Conventualium præfectus, & Montalcinus; & quis iste Montalcinus; plura licet moverim, investigare non potui. De his iterum in seq. epistola.

sibi, Cornelioque, & Montalcino Romæ sistant se, jubeat. Cui decreto quod ad vinctum pertinebat, obtemperari per Campegium non licuit: duo tamen reliqui illo profecti sunt, quo vocabantur. De hoc aut supplicium sumetur, si pertinax fuerit; aut palinodiam eum cogitare oportet, si resipiscet. Habes de Cornelio. Te vero non puto admonendum toties, ut nos aliquando revisas, sed qua velis hic vitæ ratione uti, nos quamprimum certiores facias, nosque ames, litterisque tuis dignos putes. M. Teni, Felici Eugubino, cæterisque tuis plurimam salutem. Vale. Nonis Octobris. Bononia.

XI.

ANTONIUS AUGUSTINUS JO. FASOLO S. P. D.

Tuis disertissimis litteris non ausus sum occupatus rescribere: qua in re, ut in aliis sæpe, te præceptore usus sum; feriatus enim tu, ut dicis, eas litteras dedisti, quod per occupationes tuas antea non licuerit. Cum igitur tu in ipsa Italia natus doctissimorum virorum altrice, & parente, in istis celeberrimis gymnasiis educatus, in quibus quotidie magna cum dignitate versaris, qui domi denique tuæ

semper habueris, quem imitere, otium expectes, ut accurate hispano homini, idest plane barbaro, scribas; quid me facere oporteat ad te scribere cogitantem? Sed hæc omittamus. Quæ de Bonamici negligentia scribis, credo; dederat enim cum isthic eram maxima ejus rei indicia. At meus Romulus totus est in primo libro oratorio Ciceronis, & septimo Virgilii interpretandis. Quem tamen audire non semper nobis licet per Alciatum. Hic etiam multa ex utriusque linguæ bonis auctoribus ad legum interpretationem applicat; non ut aliena civitate, & legibus donat, sed ut alienata, aut bello capta, quædam jure postliminii redire jubet, quædam ab hostibus redimit, quædam suo quodammodo jure vindicat in libertatem. Petrus ille meus, de quo apud te multa, duos epigrammatum græcorum libros nobis est interpretatus sane diligenter (a). De Cornelio tantum audivi, maxima frequentia conciones religiosas Romæ habuisse. Adversarius autem ejus hic tres solos dies fuit, concionator levis, qui si faciles haberet auditores, aut in Lutheri castra duceret, aut majores motus cieret. Θυννακιον, και τον φοιλικα, και λεπορινον ἀσπαζεται ὁ συμμαθητης ἀντωνιος. Vale VII Idus Apriles Bononia.

(a) Hunc in græcis litteris enucleandis Bonamico præferre videtur Augustinus ad Boleam scribens.

XII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Litteras tuas nudius tertius accepi, quibus quod de adventu tuo tam certa præscripseris, quod eum in mea pene manu esse asseras, gratissimum jucundissimumque fuit. Illud tamen accidit moleste, quod neque Cornelius tuus, nec Romulus Amasæus meus, per quos confici poterat, Bononiæ sunt. Deinde quod æstatem in suburbanis prædiis transigere solent Bononienses. Nihilo tamen minus curabo diligenter. Sed si te Curtius Matthæus (a) movet, ad Kalend. Novemb. ejus doctrina careas oportet, quamvis approperes. Ego quæ maxima diligentia assequi potero, scribam ad te. Interea vale, & nostros saluta. Ad quintum Kalendarum Junii. Bononiæ.

(a) Fuit hic medicinæ professor Francisci Curtii J. C. frater.

XIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Quantam me voluptatem ex hoc meo patavino adventu accepturum sperabam; tantum doloris (mihi crede) te absente suscepi. Cui is accessit cumulus, quod neque ad te accersendum, neque (quod fortasse oportuerat) ad visendum temporis satis habui. Cum enim Legati Cæsaris salutandi causa Venetias venissem, paucos ab eo dies ad te hosque meos familiarissimos conveniendos impetravi, quos vix salutaram, ecce tibi illuc revocor. Itaque quod reliquum erat, hunc meum dolorem his litteris consignandum putavi, indicem singularis mei erga te amoris, cujus volo esse multas maximasque ubique notas. Tuus, atque adeo noster Cornelius Romæ est, quæ cum illo me communicare oportebat, vereor ne sint a Bononiensis agri sterilitate impedita, meam tamen ea in re operam, si forte desideras, quantam maximam potero præstabo. Cura ut valeas, & ut me de tuis rebus quam sæpissimo certiorem facias. Sunt enim ea mihi, ut quæ maxime grata. Patavii postridie Kalendarum Septembris.

XIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Cum Marcum Tenium hic libentissime vidissem, nihil mihi fuit antiquius, quam ab eo illa, quæ ad te pertinebant, cognoscere. A quo cum certior factus essem, te patre tuo optimo viro orbatum, & forti, ut debueras, animo eum dolorem sedavisse, & in studiis tuis, ut cœperas, florere in dies magis; non potui non tibi utroque nomine gratulari. Addidit ille se tecum, per litteras agere, ut aliquando tandem nobis liceat te Bononiæ frui, quod si ponderis quicquam habebit epistola mea (quamquam illum scio quanti facias) tamen si quid habebit, maximum addes cumulum meritis erga me tuis. De nostris rebus Jo. Anguianus, qui isthic est, te faciet certiorem, atque ego postea, si litteras hasce tanti feceris, ut eis rescribendum putes. Cætera Tenius noster scribet; cujus consuetudinem jucundissimam per se efficit jucundiorem patavinarum rerum recordatio, tuarum præsertim, qui nobis in medullis hæres. Cura, ut valeas. Tertio nonas Majas Bononia.

XV.

ANTONIUS AUGUSTINUS JO. FASOLO S. P. D.

Ita mihi jucundæ tuæ litteræ fuerunt, ut dubitare cæperim jucundius ne accipere ab eo litteras, quem maxime diligas, post longum intervallum, quam frequentes, sit. Quod eis scribis veritum te, ne patriam hisce gymnasiis prætulissem, pro certo id affirmare possum: me hinc non ante discessurum, quam quantum volo variis ex studiis hausero, cui rei aliquot etiam annos operam dabo. De tuo adventu libentissime legi, quæ pollicebaris: itaque si te liberum ab occupationibus ego & Thyenæus noster sentiamus fidem fregisse tuam, maximum tibi periculum creabimus. De nostris rebus, quas tibi curæ esse merito te amo, ita habeto; me voluptate maxima laborem, quem in jure civili, & pontificio ediscendo suscipio, condire. Ut enim abs te discessi tuis & admonitionibus & præceptis tam belle animatus, literas græcas ad hunc diem amplexus sum: neque tamen a latinis divellor, in quibus stilum sæpe exerceo, quod ita a bono authore M. Cicerone accepi, eum solum esse dicendi magistrum optimum. Versibus quoque mire delector: non quod aliquid me assecutum existimem, sed quod vete-

rum doctissimorum virorum elucubrationibus, ut qui maxime sum deditus. Quamquam nescio quid magnum ad te mitto: quod tu ita accipies, ut maximi erga te amoris signum, quippe quem non solum seriarnm rerum, sed & jocorum ineptiarumque participem esse volo. Illud te libentius lecturum scio, meos mihi præceptores Jurisconsulti nomen tertio nonas Junias dedisse. Apud sororem, cujus nuptiis te lætatum fuisse credo, recte est. Quamquam bis post eas nuptias abortum fecerit quod in bonam scilicet spem accipimus. Habes nostris de rebus quod petieras genus litterarum. Tu vero me de tuis certiorem crebro facito, quas tibi ex sententia procedere velim. Cura ut valeas. IV nonas quintilis Bononia.

XVI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S. P. D.

Jo. Metellus Sequanus, qui ad te has litteras affert, est mihi omnibus studiorum amicitiæque officiis conjunctissimus. Is a te ita accipiatur, velim, ut te cognoscat facile nihil esse ab amore illo singulari tuo mei immutatum ob multorum dierum intervallum, quo scribendi consuetudinem intermisimus.

Habebis autem hominem & doctum & ea animi probitate præditum, ut immemorem & ingratum nunquam dicas, quantocumque cumulo beneficiorum auxeris. Cum M. Thyenæo nostro, quem sæpe video, est mihi multus de te sermo, qui tuarum litterarum desiderium adhuc evavit: occupationes autem meæ necessariæ tenuerunt meas. Tu fac ut Metelli mei familiaritas in nostrarum epistolarum & sermonum succedat locum. Vale. VI Kal. Novembres Bononia.

XVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. FASOLO S.

Commendo tibi Antonium Ariam familiarem meum. bonarum litterarum studiosum, doctorum virorum amatorem, utriusque linguæ cognitione, & morum probitate præstantem (a). Gratissimum mihi feceris, si qua diligentia is familiaritatem tuam quæsivit, eadem mea de causa tu conservandam eam inter nos curaveris. Vale. Pridie Idus Januarias.

(a) Hunc esse puto Antonium Valderas, sive Antonium Ariam Valderas Legionensem bononiensis Collegii socium.

XVIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS JO. FASOLO S. P. D.

Commendo tibi Antonium Ulloam, & Franciscum Marquium(a) meos, qui isthic bonis litteris operam dant. Amabis Antonii humanitatem ac nobilitatem, Marquii ingenium ac diligentiam. Habeo cum utroque multa conjunctionis vincula. Gratissimum mihi feceris, si ostenderis illis quantum sim tibi carus, tum dicendo, tum aditu tuæ familiaritatis patefacto. Id abs te etiam atque etiam oro. Simplicium tuum cupio videre (b), ut Jacobo Mendozæ Legato, qui Peripateticorum scholis mire deditus est, ostendam. Cætera a nostris audies. Vale. Postridie Iduum Septembris Venetiis.

(a) Hic item in Collegium exceptus fuit anno 1544.

(b) De latina versione Simplicii a Faseolo data dictum est in præfatione.

XIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. SORÆ (a) S. P. D.

Jucundissimas litteras tuas accepi sparsas veteris tui amoris signis, quibus cognovi primum te adeo negotiis distineri, ut vix tibi alia manu vulgarique sermone ad me per occupationes scribere licuerit. Quod quidem facile patior, si consulentium frequentia fuerit impedimento. Meum negotium magnæ tibi esse curæ jure meritoque te amo, quod, si tuo commodo fieri poterit, confice, in te enim mea omnis est spes. Scriberem quo hæc possent fieri modo, si non te omnes nosse vias scirem. Illud etiam, in rem ne meam sit judices admonere, totum vix annum illum Pontificio juri vacasse, tuosve collegas, si per istos Sacerdotes steterit, tota de re præjudicium facere posse. Denique me totum tuendum suscipe. Petrus Parisius Romæ, ut audieras, a Pont. Max. consulitur, nobis non item. Inventus est enim Restaurus (b) nescio quis qui magno postulet, juris ignorantiam docere. Ego ut in malis Aug. Beroum malim, vel neutrum potius. Patavium nam-

(a) De Sora in præfatione

(b) Parisius satis notus. Restaurum quemdam a legulejis citatum vidi: isne ait, nescio.

que dum isti de principatu certant proficisci cogito non tamen ante Kalend. Septemb. Roderico Manrico nostro (a) tuas litteras dedi, qui tua postulata se statim facturum est pollicitus, ejus epistolam una cum meis ad te misi Ἀλλ' ἐν ἐκεῖσε ἐπανελθὼν litteras, tum cum poteris, poteris autem cum a negotiis vacaveris, scribere ne pigreris, quibus de tota vitæ tuæ ratione, quidque decernatur nostra in repub. novi, cæteraque quæ me scire oporteat perscribito. Ego vero & illa, & quicquid in mentem venerit scribam. Vale. Bononiæ III. Idus Quintilis.

XX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. SORÆ S.

Franciscus Artieda propinquus tuus tuam epistolam ad me attulit duodecimo Kal. Junii datam, quæ me plane confirmavit silentio tuo labefactatum. Is vero qui dedit est a me acceptus, ut tuus: quod cum dico, nullo me officii genere non functum, dico. De habitatione solum nostra ei accommodare non potuimus: quod erat plenior domus quam vo-

(a) De Beroho satis multa in præfatione. Manricus hic collegii bononiensis fuit socius.

lueramus: est tamen apud Sebastianum apparitorem quoad commode possimus habitare, quod prope diem futurum spero. De collegio nihil agi potest, dum Petrus Molo illic est, qui sex menses adhuc cum Barahona (a) rusticabitur collegii sumptibus, in speque est eis pænis contentum Quignonem futurum, quod multis fit verisimile. Nos igitur nostrum Artiedam, ut quam primum cooptetur, juvabimus. Sed interim a vobis liberalius ei suppeditentur sumptus, quam fecistis. Id enim ad dignitatem & existimationem vestram pertinet. Quod scribis tibi curæ meum esse negotium, agnosco amorem & diligentiam tuam; credo posse confici Francisco Lope præsente. Sed hoc deus aliquis viderit. Illa quæ petis de nostris patavinis studiis, ejusmodi sunt, ut vix sine Alciati tui contumelia dici possint. Frequentioribus enim auditoribus & gratioribus Marianus Socinus Patavii docet, quam hic Alciatus, veteremque illam docendi rationem tenet; cui proximam hyemem cum Georgio, Anguianoque tuis operam dedi, quos post Idus Junias reliqui, quod pontificio juri apud Augustinum Berohum studere cogito. De ista pragmatico-

---

(a) De Molone dictum est in præfatione. Joannes Barahona collegio bononiensi, in quod exceptus erat, singulares obtinuit honoris prærogativas, de eoque multis nominibus benemeritus fuit. Hic postea & Laudensis prætor, & Mediolanensis senator, & in supremo Italiæ consilio Regens fuit.

rum frequentia cur non tibi gratuler? Cum habeas quam plurimos, quos vel tacens superes. Sed ego eis molestior, qui te, dum singula persequor, occupatum impedio. Quare vale, & mecum amore pugna, non enim me facile vinci patiar. Nonis sext. Bononia.

Probationibus tui Artiedæ non admodum contenti collegæ tui; scis eos ad vivum, ut ajunt, omnia. Alteras petunt ejus exempli, quod ad te mitto, & errata priorum; tu faciendas, nos nihilominus cooptandum curabimus. Sed illud urge, ut quamprimum ad nummos, quorum eget, perveniat. Non enim puto ante unum, aut alterum annum ei aditum patere: qui sint nostri annui sumptus nosti, non minores MMCC sestertiis. Vale.

XXI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. SORÆ S.

Iterum ac sæpius dicendum est, me tuum Franciscum Artiedam diligere, & quibus in rebus possum juvare; id ad te scripsi antea, quibusque rebus a vobis juvari debeat. Eadem nunc repetam necesse est. Cum ut antea scripsi, Domingues Molo totum se proximum annum adhuc in Collegio futurum spe-

rat; hoc toto tempore auxilio vos vestro Artiedæ esse debetis, qui plane viaticum consumpsit: erit nobis, & Mich. Solerio nostro (a) sumptui, quoad a vobis suppeditetur. Sumptus nostros nosti, non sunt minores MMCC HS. Sed hæc omnia te credo oblitum, ita cum eo actum video. Illud etiam; eum, cooptatus licet fuisset, in togam, in libros, in cubiculum sumptus facere oportebat. Hæc fac memineris. Illa etiam, ut quæ non probata Collegæ tui esse ajunt, mittenda curentur. Sunt autem hæc, testes minime de Artiedæ aviæ paternæ ingenuitate docere, neque ipsiusmet Francisci nullam cum religione reconciliationem aliquando fuisse, anque fuerit in alicujus famulatu, unumque & vigesimum annum agere. Horum omnium probationem litteris publicis consignatam, ut omnes auferamus procrastinandi ansas, mittite. Bernardus Bolea (b) XV Kalend. Septemb. Neapolim profectus est, ut præfecturam aliquam a Procoss. impetret, quod cupio & spero, nam quæ vos dicebatis a celtiberis aversum Cæsarem & suos, vix credibile est. Exemplo sit Jo. Luna (c), cui arx Florentina, atque adeo tota commis-

(a) Solerius hic, de quo in aliis epistolis, & ad quem ipsius Augustini litteræ editæ sunt Lucæ Op. t. VII. fuit, uti ego arbitror, collegii alcagnicensis, seu viviani socius.

(b) De Bolea in præfatione, & sæpe in hisce epistolis.

(c) Ex ea familia *de Luna*, quæ inter nobiliores Aragoniæ, imo & totius Hispaniæ numerabatur. Hic est Joannes

sa Hethruria est. Sed ei in quem cumque modum res cadent, a patre ea pecunia fac (obsecro te) mittatur, quæ satis sit ad suam ei dignitatem tuendam, & ut fidem suam liberet, quam & viatici causa hic, & ob quotidianos sumptus illic astrinxit; septem mille & quingenti sestertii nummi sunt quorum indiget, sed ita ut qui semper patri suo molestiæ fuit, iis redigi in eum statum possit, ut patri patriæque suæ ornamento, & commodo sit dum vivet. Vale. Postridie kalend. Septemb. Bononiæ.

XXII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. SORÆ S. P. D.

Franciscus Lopes tuas litteras attulit plenas benevolentiæ, & mehercule elegantiæ, quibus Alciatum tuum in cœlum fers, meque approbante fieri id contendis. Ego quidem mi Sora multa in doctore agnosco meo, ob quæ omnia efferri eum facile pa-

---

Luna, quem Augustinus in *Emend. & opin.* præfatione ad Michaelem Majum dicit *virum ob rei militaris peritiam, integerrimam fidem, generis nobilitatem, morum comitatem Cæsari Etruriæque toti valde carum*, & de quo sæpe in hisce epistolis redit sermo.

tior; hæc autem ipsa sigillatim cum introspicio, inter multos eum ponendum suaderem. Nam ut reliqua omittamus odiosiora, comitas ejus, & officium mirandum in modum celebratum omnium sermone est. At modo ex tui negotii explicatione id poteris facile cognoscere. Nam cum ego & Lopes litteras tuas ei attulissemus, & quæstionem a te scriptam, pollicitus est saturnalibus, (aliquot enim ante diebus conveneramus) responsum. Redimus feriis, ille iterum procrastinare. Quid quæris? istas ipsas litteras vix extorsimus. Facile autem intellexi *eos, qui cum consulant, non ei consulentes, inconsultos abire, sedemque execrari Sybillæ*. Huc enim pertinent illa „ si cum ipsis reis mihi agendum esset „. Sed ego efferor fortasse amoris tui gratia, cui quod verebar non responsurum Alciatum, ejus resignavi litteras, quod te non moleste (si modo te novi) laturum credo. A Bernardo Bolea nostro habeo litteras XVIII. Kalend. Januarii datas, quibus se syngrapham tibi acceptam ferre dicit, quod a me admonitus ejus patrem eam mittere persuaseris, magistratumque sperare his feriis cum Paternina, & Saravia(b) collegis tuis. Sed quoniam collegarum memini me *cooptandum esse* quamprimum scias velim; Artiedæ vero tuo expectandum, quippe cum Do-

(a) Dominicus Fernandez Paternina, & Martinus Saravia Collegii socii fuere, hic etiam juris canonici professor.

mingues rediturus sit, & Barahona, qui Romam cum Lope profectus est. Te libero adhuc lecto uti, sunt qui non sine malitia Archiguido tribuant, ego vero prudentiæ tuæ. Quod acturus es Dii velim probent. Datæ IV Idus Januarias Bononiæ. Vale.

XXIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS JO. SORÆ S. P. D.

Etsi post XI Kalendarum Februarii nihil ad me litterarum dedisti, quod acceperim, & ad te sæpe de nostris & studiis, & rebus scripsi; tamen cum tabellarius hic ad te proficisceretur, & te comitiorum facere oporteret certiorem, sine peccato meo fieri non poterat, ut is inanis ad te veniret. Kalendis igitur Maiis sortito Scobari, Rodriguique tuo, & Ramiri data potestas summi magistratus creandi est. Cumque inter se non admódum convenirent, Rodrigues enim, & Ramıres Alph. Guavaram (a), Scobar Ludov. Alvarum præferebat, sua quisque ductus amicitia, & quodammodo pertinacia, tandem aliquando duos ipsos inter se sortiri

(a) De Alphonso Guevara, & de cunctis fere, qui hic nominantur diximus in præfatione; uti etiam de religione ac fere nimia probationum diligentia, quæ in sociis admittendis adhibebatur, & cujus exempla in hac epistola.

voluerunt. Hic tibi Ἡ' τυφλὴ τυχὴ Alphonsum collegio, totique gymnasio præfecit, hominem suo quidem judicio doctum, & intelligentem; sed ipsa se post tres correxit dies, Alvarum enim ipsum, & Scobarem, & Dominguem, ejus consilio non adesse, sed præesse voluit. Quid quæris? Hi quos dixi consiliarii nostrum Laucisium Οἰκονόμον iterum invito ipso Alphonso fecere. Tertia sortitio omnibus æqua fuit; Pratum enim illum, qui cum Manrico nostro, & Ramirem συνδικων de rebus a Villanova, & cæteris in magistratu gestis voluit. Habes comitia, nunc cognosce reliqua. Petrum Lacunam te credo audiisse domo aufugisse, quod falso se ingenuum diceret, nunc is per Quignonem impetravit, ut restitueretur, quoad de ingenuitate judicio decerneretur in Hispania, quo mittere aliquem e nostris oportet. Huic Legationi multi sunt candidati, deque illa restitutione non minima est contentio. Illud etiam versatur, an etiam Georgium vexari oporteat, quod nescio quos rumusculos Franciscus Lopes attulerit. Ego me spectatorem præbeo, gratiorem quidem optimatibus (scis quos dicam) sed neque a popularibus alienum. Itaque laboro, ut satis omnibus (quoad fieri possit) faciam. Vides me in Collegio esse totum, & ut id vere dicas, illud etiam te scire volo, cogitare me eorum, qui apud nos unquam vixerint, vitas uno libello comprehendere. Qua

in re, quoniam Epilensis tui sanctissimi viri (a) mentionem fieri, atque adeo caput ipse sit, oporteat; me velim juves iis rebus, quas isthic dum vixit egit, & quæ deus ejus consecrati animi signa dederit, idque cum consule, & die, ut apud nostros libros est, mors præsertim ejus indignissima. Huc accedet si velis, Cæsaraugustanorum, quos tu hic fuisse audisti, nomina, mores, mors, & dignitas. Alciatus tuus operam suam strenue navat, ratione utitur docendi optima, leni, non levi, disputantes non audit, sed quasi honorarius arbiter eorum de bono & æquo contentiones dirimit. Nos te aliquod tandem vitæ genus vivere cupimus, quamobrem uxori te oportet, aut religioni addicas. Utram optaveris velim scire. Illud etiam, quis Alberti successor sit, ejus enim Magistratus, in quo ipse erat, cupio te procurationem habere. Itaque facies me & earum, & tuarum rerum certiorem, vel potius nostræ totius reip. Cura ut valeas. Idibus Majis Bononia.

His scriptis ecce tibi litteræ tuæ XVII Kal. Majas datæ, quibus te uxorem ex sententia duxisse cognovi, quod velim dii immortales probent, mihi quidem mirum in modum jucundum fuit. De Artieda nostro sic habeto, Dominguem nolle, dum in Italia est, conditioni cedere; habere enim se hic

(a). Is est S. Petrus de Arbues collegii socius, qui martyr occubuit.

perfugium profitetur, quo veniat, cum vaganti industria sua erit inutilis. Si vero certam aliquam profectionem constituerit; aut ad vos navigarit; quamvis iniquo animo adventum passus est Artiedæ, cooptationem facile patietur. Quod me ad redeundum hortaris, si id dignitas mea patietur, consilium tuum sequar: sin aliter fratribus meis, cæterisque videbitur, ad quos ea cura pertinet, te etiam. ut spero, approbante, mos eis gerendus est, nisi fortasse in ea frequentia, qua audio majorem advocatorum numquam fuisse, me vis etiam obstrepere. Bolea nostro quid factum sit ignoro, multos enim menses ab eo ne litteram quidem. Tui collegæ te salutant, & de uxore tibi gratulantur. Vale. VI Kal. Junias.

XXIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS
JO. SORÆ S. P. D.

Rodulphus Alferes collega noster, qui ad te has litteras afferet, nostrarum te omnium rerum faciet certiorem, quam ob causam hæ breviores sunt, quam ad te missas oportet esse. Id solum dicam te tuam uxorem scribendis litteris tardiorem reddidis-

se: quod, ut opinor, omnium nostrum amorem in eam transtuleris, falsa illius oraculi fortasse interpretatione ductus, quo jussit Deus parentes propinquos relinquere, & uxori adhærere; quod si parentes licet, & familiarissimos quoscumque. Quæ si probas, uxorium cave ne tu nobis Deum constituas Probabilius illud est, ut ea ipsa migratio corporis sit, non animi; ut accepta uxore domi suæ potius imperet, & familiam quamdam novam curet, quam parentum arbitratu vivat; a quibus ne digitum quidem, ut solebat, discedat, eorumque omnibus in rebus auxilium exoptet. Bernardus Bolea tuum etiam eodem in genere officium requirit per litteras, quibus quoque se suo magistratu non tam belle acceptum quam putaret, affirmat, Alciatus tuus, dum hæc scribebam, pene animam agebat. Artieda in studiis totus. Nostri Collegæ, Vivianique (a) tibi multam salutem. Cura ut valeas. VII Iduum Aprilis.

(a) Alcagnicensis collegii, seu Viviani dicti, quod a nob. viro Andrea Vives Alcagnitii nato Collegii S. Clementis olim socio, & postea medico pontificio fundatum fuerit.

XXV.

ANTONIUS AUGUSTINUS JO. FASOLO S. P.D.

Mirabar te nihil ad me litterarum dare, ecce tibi tuarum occupationum maximum signum, epistolam tuam VI Iduum Maii datam accepi, in qua, quam post annum fere vertentem mittebas, neque de meis epistolis, quas ad te nonnullas dedi, neque de tuis rebus aut nostris mentionem ullam fecisti. Id solum, quod ad nostrum Artiedam attinet, accurate præscripsisti, cujus negotia quoniam Petrus Domingues Molo noster præfectus huic Collegio, medicorumque gymnasiis est, nosque in ejus consilio, curabimus quamprimum, ut expediantur. Nostra studia, ut solent non negliguntur, sed domi. Nam cum Alciati adversa valetudine, quæ nunc optima est, fuissem aliquot menses otiosus, cæpi meo marte nostræ prudentiæ incumbere, qua exercitatione ita oblectatus sum, ut Scholas ipsas neglexerim. Quid autem assequar, tuum erit aliquando judicium. Morborum molestia & sterilitatis æque Italiam, ac Hispaniam vexavit, ut nunc ubertas delectat. A Bernardo Bolea nostro raras admodum litteras accipio, valere tamen, & cum gloria in provincia jus dicere scio. Nostri Collegæ te salu-

tant. Ruitius (a) Patavium profectus est, ut suorum studiorum in acutissima disputatione periculum faceret, quod fecit: & cum, postquam duos dies acriter, ut solebat, cum Patavinis contendisset, Bononiam redire cogitaret, ut hos etiam vexaret, incidit in acutissimam febrem, & quod molestissimum est, periculosam. Sed nimium te a tuis negotiis abstraxi, quare vale, & nos ama, ut facis. Bononia XII Kalendam Quintilium.

XXVI.

ANTÓNIUS AUGUSTINUS

JO. FASOLO S. P. D.

Misit ad me Lacunensis codicillos, quibus tota ipsius adversariique sui causa continebatur, docte quidem illos, & copiose scriptos, quibus tamen nonnulla detrahi, non pauca immutari possent; petiitque a me, ut responsum illi ab Alciato meo impetrarem, qui tibi erat ante duos annos pollicitus ejus se partes defensurum: id ego, ut vides, impetravi, in quo non solum vicit meam expectationem, quamquam erat maxima, sed se

(a) De Ruitio in præfatione.

etiam ipsum vicit. Nihil enim unquam videtur dixisse doctius, nihil (quod caput est) ad rem accommodatius, nihil apertius, & in quo ille princeps est, nihil ordinatius. Sed minime mirum est, cum tua'is de causa, & fortasse etiam mea libentissime negotium suscepisset, sua autem, cum suæ dignitati eum & famæ belle servire oporteret, totum se in hac re ostenderit. Quod lætor Lacunensi nostro optime accidisse; cui mitto Augustini quoque Berohi nostri præceptoris responsum, quod ille non petierat: sed tamen feci, ut in mea re fecissem; cum duo hæc sint nostræ sapientiæ lumina, altero adhibito adversariorum oculos hebetare, utroque eos fugare, & si audacius & inconsideratius pertinaces sint, inflammare me posse & comburere existimavi. Hoc velim tu probes; & quem virum satis multi isthic ignorant, apud nos inter principes esse (ut est, & ut mihi persuasi, inter eos hoc præsertim in genere respondendi primus) tuos cives certiores facias. Quamquam quanti eum facere oporteat, ex ejus ipsius responso videre licebit. Sed heus tu? Cur hæc sine tuis litteris ad me, Alciatumque meum fiunt? & sine illis, quas ego maxime expectabam, his de rebus cogitationibus tuis? nisi fortasse in illis ipsis codicillis inerant etiam tui labores; cujus me velim rei certiorem facias; atque eorum consultorum nominum, qui illis conscriben-

dis operam dederunt. Illud nolo prætermittere, nonnulla aliter esse hisce codicillis narrata, quam in epistola ad Alciatum tua. Nam Berengarius ipse Baro a te Joannæ filius, Philippi & nepos & hæres dicebatur: hic Joannæ nepos Philippi sororis'. Quod si erratum Genuensis librarii, qui eos Codicillos descripsit, est, juvabit id eas partes maxime. Recta enim primus & maximus quisque succedit, neque erit unquam ad alteram sobolem veniendum. Illud etiam cures, ut si major frater (opinor Philippus) est a patre institutus hæres earum rerum, de quibus agitur, in judicium testamentum deducatur. Non enim difficile est totam pactionem infirmare, & ad hæreditatem ex testamento patris duorum fratrum, e quibus litigatores descendunt, & ex Philippi ultimi testamento venire. Id enim (nisi fallor) secuti sunt duo illi Judices, qui eos partiri bona inter se voluerunt: quod existimarent pactioni locum non esse, & liberis utriusque filii deberi. Quod si conventis locus est, ex nostris istis legibus repetitioni nullum locum reperio. Tantum urget, quod maximum quemque vocaverunt, & adversarii pinguiori illa, de qua agimus, minerva, inter posteros maximum quemque dicent dominum ex pactione fore: cui rei medetur Alciatus (Berohi responsum, cum hæc scribebam, nondum acceperam). Alciatum tamen juvat illius quoque regionis usus, quem quanti no-

stri faciant, nosti. Nihil autem tam vulgare in Hispania, quam liberorum majorem, majoritatemque (ut illic vocant hereditatem ejusmodi) non solum grandiorem natu, sed ex majoribus natu liberis natum appellant; neque horum alterum satis est ad eam appellationem. Neque nos moveat illorum argumentum ex conjectura priorum verborum, quibus masculum filium vocant; cum (ut Alciatus ait) ea nos potius verba juvent; cum potuissent, nulla ejus filii mentione facta, masculos majores vocare, nisi diversa esset in hoc, atque in illis eorum voluntas. Huc accedit, quod imperiti legum, quas ignorare possunt, miles & mulier imperite cavebant filium filiæ præferre (sic enim interpretor ea verba), cum satis tamen fuisset filium appellare in hujusmodi pactionibus, & possumus acutius (quam vere ipse videris) eam rationem primi filii appellationi dare, quod eo capite cesserit uxor viro, & contenta fuerit cæteris capitibus suum sexum non excludi. Idque merito; non enim uxores, uti ancillas habetis, sed uti comites, & sorores, quibus comiter imperare vos oportet. Quod vero fœminæ, & earum filii servent eam immortalitatem, quam ii qui liberos suscipiunt expectant: Callistratus aperte ait capite ccxx de verborum significatione. Et ea de causa antiquo celtiberorum jure meliorum unius ex filiis conditionem patri facere licebat, ne-

que eo munere filiæ privabantur, ut libro sexto nostrarum legum videre licet. Inde eo ventum est: ut ne familiarum facultates divisione perirent, liceret uni filiorum totam hæreditatem relinquere, modico deducto ad cæterorum portiones, idque libro nono earum legum apparet. His ego rationibus ducor, ut credam, non semper masculos voluisse habere ea bona, sed maximum quemque descendentium perpetuo quodam primorum filiorum ordine. Idque Hispanorum consuetudini maxime convenire censeo: vix enim unus, aut alter est, qui familiæ, aut maribus solis caveat, aut si qui nunc sunt, ante centum (opinor) annos multo erant pauciores. Sic citerior Hispania ad Petronillam reginam, & ad Fernandum Leonoris filium pervenit: Ulterior sæpius ad fæminas, sed patrum recenti memoria ad Isabellam Caroli Cæsaris aviam: & hoc tempore utraque Hspania in Joannæ, ejusque filii potestate est. Sed nescio quomodo lapsus in hoc genus litterarum sum, ut nisi me tu pro nostra familiaritate feras, vix possim non ineptus esse: cum in ea re me ostentem, in qua tot & tanti viri elaborarunt; atque nisi properato opus esset, qua de causa percurrere vix licuit meorum præceptorum responsa, accuratissime, & libentissime ineptus essem Nunc vero de his hactenus. Bernardum Boleam certiorem paternæ mortis feci: a quo non

ego frequentiores litteras, quam tu, accipio: esse tamen eum sibi honori audio. Paulus Pontifex Maximus ad nos cogitat. Ludovici Gozadini centum responsa ejus frater edi curavit: LXXXVII ad pactiones successionum pertinent; LXXXIX ad eam quæstionem, qua quærunt filiis masculis institutis, & si sine filiis aliquis eorum decedat, secundo herede scripto, Filiane filii secundum hæredem excludat, quæ attigit isto responso Alciatus; neque aliud ad Lacunensis nostri negotium pertinet. Cætera magnis de rebus, Britannica Monferratensi Regiensi & Mutinensi; de Columnarum hæreditate, deque Caprariarum, id est classibus ulterioris Hispaniæ præfecti bonis. Paulus Parisius frustratus nos est de suis responsis expectatissimis. Tu me de istis meorum doctorum certiorem facito, quales vobis esse videantur; quantumque habeant ponderis; & de totius negotii fine, quem avidissime tres hos menses expectabo. Nostri tibi plurimum salutis. Joannis Scobaris in Campania magistratu, Villanovæ in Calabria, in Brutiis Gumielis existimo te gavisurum. Vale, uxoremque tuam, & filios saluta. Postridie Kal. Martii.

XXVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEORGIO VASQUIO S.

Heri salvus Bononiam decima hora perveni, duabus post Bernardum nostrum horis. Quid quæris? Itineri meo nihil gratius addi potuit jucundo ipsi, cum quod calonum caruit molestia, tum etiam quod nautis optimis, ferrariensibus publicanis, Villalbæ causa, non admodum molestis sim usus. Sed omnia tibi Martinus perscribet. Summa tamen erit, nihil mihi non ex sententia evenisse, præter nescio quos minutarum muscarum morsus, quos paludibus navigans pertuli. Ad illa redeo, quæ tu isthic a nostro Paulo audieras, totius Hetruriæ arces ab Hispanis militibus teneantur. Florentiæ Joannes Luna præpositus. Dii faxint, ut hæc res Quinto nostro fraudi ne sit, nosti enim, permultos moleste tulisse illa Mediolanensia. Quid aliud? inveni germanam viam, gratare sorori, inveni, inquam, optimam (nisi fallor) scribendi rationem per Venetos tabellarios, qui hac Florentiam septimo quoque die iter faciunt. Eis enim modica data pecunia, ad te ante quintum deinde diem meæ litteræ perferentur. Tu Venetias, quo loci ipsi quatuor expectant dies, litteras mittes. Benedicto Genuensi dicito nostrum

Hannibalem Mantuæ esse, meque curasse, ut ad eum tuto perferantur litteræ. Alviso Joanni Mariæ, cujus etiam epistolam religioso illi viro dedi, cæterisque tuis salutem. Vale. XIII. Kalend. Julii Bononia.

XXVIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEORGIO VASQUIO S. P.

Tuas litteras VII. Kal. datas accepi, quæ mihi dupliciter gratæ fuerunt, tum quod te gratum memoremque, ut quem maxime, cognovi, tum etiam quod spem mihi ostendere non minimam, stili exercitatione quo volumus te perventurum. Nihil enim æque, ac attentio, quæ in te est maxima, his in studiis desideratur, ut ne quid alieno loco (nam alia lingua quid opus est dicere?) positum sit, quam ab illo quem exprimendum curamus, positum videmus. Hæc tamen currenti ut ajunt. Quod scribis Anguianum facere, quis non videret? qui sciret eum cum frænum momorderit, quoad sedentem defatiget, excurrere solitum. Quanquam hac in re est cur ejus molestiæ ignoscatur: nam ut quod ad me attinet omittam, Alciatum hinc cogitare, aut

statim, aut anno vertente, rumor est, quod nollem ante tuum adventum. Est enim in eo mirandum maxime, quod paucis disceptationem satis longam dirimit, legesque de quibus agitur optime declarat, datque multam studendi ansam. De tertio Paulo hoc certi solum, non hac eum Romam ante brumam reversurum. De illo altero Paulo male mehercule narras. Sed heus tu? Adeo ne frigent comitia, ut vobis studere liceat? perscribe mihi istas molestias, vel narra potius cum salvum te Bononiæ sistes. Vale. Kalendis quintil. Lanzeloti Politi libellum de substitutionibus mihi emendum, & quamprimum tuto mittendum cura.

XXIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEOR. VASQUIO. S. P.

Bernardus Bolea noster, ex medicorum sententia ad istas aquas proficiscitur, cui quamvis litteras non dedissem, sacram amicitiæ nostræ majestatem imminutam esse non putassem, nisi fortasse id ipsum a me expectares; hoc in me privilegio irrogato, ut alii, cum opus scriptione sit, litteris utantur, ego tum quoque cum nec opus sit. Quo ne me teneri aliquando

dicas, his caveo litteris. Scitum autem illud est: quæ ut aliquid augeant facta sunt, diminutionem facere qui possunt? Sed vale; ne vestra impediam colloquia. VII. Iduum Quintilis. Bononia.

XXX.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEOR. VASQUIO, ET JO. ANGU. S. P.

Cum vos inter vos dissidere putabam, separatim utrique vestrum scribebam: nunc cum in eamdem convenistis sententiam, vestram animorum conjunctionem me his litteris ostendere, facile patiamini. Meoque hoc jure peto, quando non moleste tuli, quæ Bolea noster retulit, de adventus vestri rejectione in alterum annum. Quod velim dii approbent. Mihi vero, ut ingenue fatear, omnia hic displicent, præter litterulas nostras humaniores, in quibus acquiesco. Nam quæ antea scripsi, quamvis vera sint, in illam rationem, quam nostis, scripta a me sunt. Tota mihi prora & puppis (ut ajunt) in August. Beroho est, quem puto expectationi meæ paria facturum. Sed hæc periculo facto ad vos; venio ad id, quod vobis esse jucundum debet. Michael Solerius noster salvus huc confecto collegii negotio

venit, qui concionem apud cives suos habuit de religione, ut ex Jo. Soræ litteris cognovimus, gratam. Habuit itineris socium Franciscum Artiedam Soræ propinquum, quem credo hac epistola, quam mitto, commendari. Ille in dies causas agendo rem auget familiarem, & prope est, ut jurisconsulti nescio cujus filiam uxorem centum HS. dotatam ducat. Rod. Dorus nautam, qui ei illas pretiosas vestes surripuerat, Genuæ in carcerem conjiciendum curavit; & se putat majorem earum partem recuperaturum, & statim ad nos. Quas litteras ad me ante adventum Boleæ misisti adhuc non accepi; si quid in eis quod me scire par sit, scribito. Et crebro, immo quotidie ad me litteras date, ut me a vobis abesse non doleam. Non deerunt argumenta, si mihi omnes rumores patavinos, totaque comitia, rationem denique studiorum perscribetis. A me idem expectate. Bononia X. Kal. Sextilis. Valete. Tuum Benettem, a suis remigibus dicitur esse proditum & occisum, ejusque navem a Turcis expugnatam, quod moleste fero, quod Celtiberorum natio fortissimo viro privata sit.

XXXI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEORGIO VASQUIO
S. P. D.

A Bened. Villalba recepi eas litteras, quas VIII Idus dederas, & recepi nudius tertius cum ille ad Bernardum nostrum venisset, ut se de itineris societate excusaret. Ad quas postea veniam, quam quæ ad Boleam pertinent perseeutus fuero. Is igitur cum a patre se destitutum videret, & temporis angustias cogere, ut si vellet ad tempus adesse, opus esset properato, postridie Iduum & pontificii, & civilis Juris more majorum consultus est appellatus; statimque versura coacto viatico heri profectus est, tibi subiratus qui ejus rescribendum litteris non putaris. Epistolam illam commendatitiam quam petis, ei dedi, eodem pene exemplo, quo priorem scripseram, tu si quid eis assequutus fueris, & an tertiam velis dem, me facito certiorem. De Ludovico audieram ex Gabriele Ferriera, sed eum non usque eo exagitatum putabam, ut etiam de vertendo solo cogitaret. Sed quid (obsecro te) agit ejus frater moribus germanus, cognatione patruelis? Quid Hippolytus noster hospes? neque enim eos esse otiosos licere per altera comitia audio, quæ velim ad

me perscribatis, sed ea lege, ut seria his nugis nunquam non antevertenda putetis. Accepi a Doro litteras V Idus Sextilis Alexandria datas, quibus se in exercitu ad Kalend. Novemb. futurum dicit; negatque se auferre ab illis nautis potuisse, quod in annum sumptum satis esset, itaque militiæ se id assecuturum sperat. O hominem, inquies, nullius consilii, qui inde se aliquid reportaturum sperat, unde qui vivi redeunt, recte cum eis esse actum putant! Audi reliqua. Andreas Oria, inquit, duo hispanorum millia navibus in Siciliam & in Græciam deportare dicitur, illic ego merere, inquit, cogito; aut si hæc minus vera sunt, in Italiam quoad Hispanicis litteris mihi consultatur ero. Hujus hominis velim vicem doleas. Quid reliquum? quid? novi si quid in Repub. scribito, hic enim mirum silentium. XIV Kalend. Septemb. Vale. Apud Annibalem Poëtam nunc habito; non enim potui illum hominem ferre hospitem, quem tu probe nosti.

XXXII

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEORGIO VASQUIO ET JO. ANGUIANO
S. P.

Expectanti mihi a vobis litteras, quibus de vestris Comitiis certior fierem, ecce nuntii repulsos

nostros, aufugisseque eum qui prioribus comitiis designatus fuerat, renuntiarunt: commotus hoc nuntio, ut par erat; ex aliis domum vestram noctu oppugnatam, hospitem fustibus male mulctatum, vos ex superiori domo saxis coercuisse illorum impetum, accipio. Quo animo putatis me hæc audivisse? non eram (mihi credite), neque medius fidius sum nunc apud me. Tantam fuisse improbissimorum hominum audaciam, ut a quibus nulla essent injuria lacessiti, eos armis cogere vellent, ut suffragium ne ferrent! Sed stomachari desinamus, & ad me periculo liberi totum perscribite, cæteraque, quæ ad doctores præceptoresque vestros pertinent. De Bernardi profectione vos feci iis litteris certiores, quibus miror vos non respondere. Idque ego expectans, accepisse me vestras eidem Bernardo inscriptas, quas ad eum per Villalbam misi, non significavi. Joannis Vallis epistolam, quam cum hac mitto, Domingues mihi dedit; ei, si quam primum Bononiam cogitat, Politi librum (ut scribitis) date; sin minus, tuto mittendum confestim curate. Ego apud Herculem Poëtam habito, (ut scripsi antea, sed, ut vereor, lapsus in eo nomine sum, aliter enim post datas litteras in adversariis scriptum vidi. Sed erit memoriolæ peccatum, ita enim hæc, opinor, Cicero noster vocat. Sed valete, acceptis vestris litteris a me longiores habebitis. XIV Kal. Octobris.

XXXIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEORGIO VASQUIO S.

O expectatissimas tuas litteras, suavitatis, amoris & diligentiæ plenas! adderem etiam (te quidem invito) elegantiæ, ni arrogantiam vererer. Essent enim qui mea me nimium diligere dicerent; sed hoc vel maxime arrogantis est, ut quæ tu tuo marte consecutus es, ego quod digitum modo ad fontem intenderim, meo vindicem jure. Sed de joco satis. Gratulor vobis, & mehercule mihi, quod periculum sine offensione evaseritis; si tamen audiveritis hominem vestri amantissimum, non committendum iterum putabitis, ut comitiis Patavii sitis. De Bernardo adhuc ne litteram quidem, eum vero te diligere, ut cum maxime solitus est, puto, præsertim cum (ut antea scripsi) ad eum tuas miserim. Idibus Octob. dandi magistratus sunt: competitores habet, quos maxime volumus, Paterninam, & Saraviam, & si diis placet, Gumielem (cave, frontem ferias), optime juris condiendi, non condendi scientiam professos. Provinciales autem homines verendos puto, pollent opibus, gratia valent, per collusores, perque illos interpretes, quos credo ex ipso Bernardo te accepisse, quidvis possunt conficere. De Cæsare id so-

lum possumus affirmare, magna eum cogitare; pax enim certa cum Gallo est: Denamarchæ, Ungariæque quæ fuerunt reginæ ad eum properant. Figueroa etiam hac nudius tertius eo profectus est. Cæsaris filia (a), quæ Dux Hetruscorum fuerat, Pauli Pont. Max. nepoti nubit. Sunt qui Neapolim venturum Cæsarem cum uxore opinentur. Tu velim, si quid explorati habueris, ad me scribas. Nonis Octobris. Vale. Fasolo litteras inscriptas poteris legere, & complicare. Nostro Arguedensi salutem plurimam dic, esseque hic ejus fratrem, & Isabellam Celtranam (b) Joannis Lunæ uxorem, Florentiam properantes.

XXXIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEOR. VASQUIO. S. P.

Quid primum nunc ad te? de tua scribendi cessatione, an de dolore, quod M. Mantua (c) tuus tibi præsto non fuerit, an de præceptoribus meis? Postremum hoc malo, illa frustra persequar; quippe

(a) Margarita Austriaca. (b) Celtranamne, ut in codice an Beltranam? (c) Marcus Mantua I. C. Patavii Professor.

qui dolorem cessationis causam fuisse scio. Augustinum igitur scito Augustino placere, neque eo solum, quod collegæ ejus displicent, sed quod doceat docte, disputet acute, interpretetur clare; sed sunt illa scilicet devoranda, quæ tu rides hæc legens. Alciatum pedum dolores impediunt, quominus totus in docendo sit, sex enim solos dies verba fecit, quorum primo de studiis, & de juris prudentia pene declamitavit, & ni de toto genere dicendi aliud sentiret, atque nostri, non indocte dixisse visus esset. Cæteris diebus ne transversnm quidem unguem discessit ab eo, quem tibi Bernardus descripserat. De quo homine plura alias. Nunc ad Cæsarem nostrum venio, quem conventus in ulteriore Hispania habere, classemque ædificare magnam audio, ut ineunte vere cum Gallis Lusitanisque sociis in Græciam impetum faciat, præfecisseque regio Consilio Garsiam illum Padiliam, justissimus unus qui fuit in Teucris. De Oria, Venetisque ex te expecto; hic Dirrachium nobis propediem pollicentur. Sed vale, nam mihi tuarum ocupationum nunc venit in mentem, per quas non possunt litteræ præsertim longæ non esse intempestivæ. A Doro Pescheraque, & Martino nostris salvebis. XII Kalend. Decembris.

XXXV.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEOR. VASQUIO S. P.

Credo te his feriis dedisse ad me litteras, quas non adhuc accepi, ego vero cum ex eis argumentum uberius epistolæ expectassem, adhuc diem silendum putavi. Nunc nescio quomodo non potui me continere, fecique illud, quod gladiatoribus usu evenire solet, ut si ante spectatorum frequentiam venerint in caveam, otiosi tamen præstolari non possint, quin leviter digladientur, specimenque pugnæ edant; sic hæc erit veluti prolusio quædam, tuis porro acceptis litteris toto erit pectore contendendum. Interea Abulensem tuum pontificem, Mansumque Osmensem, & Hispalensem Antistitem mortem obiisse dici scis; tria quorum opima sacerdotia nolim ii eripiant, qui non minimam prædam nuper abstulerunt. Petrum Bembum Romam accersiri vehementer gaudeo: est enim tanta urbe, Senatuque jamdiu dignus. Sed quid opus est eum verbis exornare, qui ut aliquem possemus author fuit? Ille enim viam munivit (ut scis), admonuitque quamplurimos, ut eam ingrederentur, qua sola ad eloquentiæ arcem pervenitur. Itaque hoc non potuisset tam late patere, ut vel nos peregrinos (te etiam

adjungens) non lateret, ni hunc principem habuissemus. Sed hæc longiora, quam necesse est; illa breviter. Audio Petrum Toledum Campaniæ Apuliæque proconsulem alteram filiam Cosmo Medico Florentinorum Duci despondisse, alteram nescio cui Pontificis Max. nepoti; & quod magis admirandum, Francisci Cobosi filiam duxit Suessanorum Dux Gonzali Fernandis Magni nepos. Rerum urbanarum certior a tuis fies, Vale igitur, & otiosus ad me scribas velim. Bononia postridie Nonarum Januarii.

XXXVI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEORGIO VASQUIO S. P. D.

Obriguerunt scilicet tuæ litteræ, quas tandem aliquando accepi duabus epistolis, quarum alteram XIII Kal. Decembris, alteram IV. Kal. Januarii dedisti: utraque doctorum tuorum diligentiam persequeris, in quo mihi tu diligentior visus es, quippe qui accurate Alexandrini(a) insolentiam depinxisti. Cætera de litterarum peregrinatione perbelle jocaris, & fortasse vere: quas enim tuas accepi

(a) Fuit hic Patavii Iurisprudentia professor.

C. Asinio Pollioni veterrimæ essent, qui, ut in ejus epistolis licet videre, dolet Cordubæ res cognoscere post XI diem in Italia gestas. Quod ais te mihi hoc tempore aquam gelidam non invidere, ea de causa est, quod nunquam periculum feceris: nihil enim nunc ea suavius; quo enim alsior, eo gratior, vinum autem nullius saporis. Sed scio me frustra laborare, ut quem ne Demosthenes quidem vexatus hoc nomine, ut scis, ab Æschine possit in suam sententiam adducere, ego id unis litteris efficere posse credam. Nam quæ de Catharina addis, Martino non potest persuaderi, cujus sententia (ut in nostris libris dici solet) dubitationem non habet. Jo. Anguiano nostro gratulor de studiorum flagrantia, quam ut ne interpellem, non ei scribo: sed meis verbis plurimam salutem dic. Habes ad omnia, præter illa, quæ ad Boleam nostrum pertinent: expecto ab eo litteras. Arguedensis Florentiam hac est profectus, qui Paulinam profectionem narravit, & post eam nihil ab eo. Si quid postea accepisti, me velim certiorem facias. Nova Marc. Zornoza consul, per quem has ad te mitto, scribet; nosti hominis diligentiam, & probitatem. XII Kalend. Februarias. Vale.

XXXVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEOR. VASQUIO S. P. D.

Accepi litteras tuas, & Anguiani nostri mandatum, quod id solum juvit nos, ut illa testimonia cognosceremus. Quæ non omnia persequuntur, sed Romæ, ut ad Jo. Anguianum majorem scripsi, sunt concinnanda. Assequi autem non potuimus, ut eadem opera locum præriperemus. Est enim contra decretis Collegii cautum, ut ille ipse, qui petit, proferat testificationes. Deinde alio in loco, atque eo, quo de in illis commendatitiis litteris agitur, præjudicium fieri non posse. Et quod moleste, ut quæ maxime, fero, quot hoc anno hinc abituri sunt, tot cogitant, vel potius necesse est cooptentur, inter quos nullum video Anguiano nostro esse locum. De Repub. quis sit rerum status vides: in ulteriori Hispania conventum habuit Cæsar dicto non audientem; veriti enim sunt illi, ne pecunia belli turcici ergo corrogata in britannicum insumeretur(a). Oriana classis Genuæ est. Cæsar Toleti ad-

(a) Non ea causa fuit, quam significet Augustinus: repugnarunt magnates aliique nobiles hispani voluntati Cæsaris, quod novum hic tributum vellet imponere in Hispania inusitatum, quodque ipsi noxium putabant. V. Sandovalium in Caroli V vita C. XXIV §. VIII.

huc cum uxore prægnante, quam febri vexari audio. Salazar (a) te amat, & videre cogitat mense Sextili. Tu vero & mihi & illi gratissimum feceris, si Junium nobiscum transegeris, & magna te comitiorum molestia liberaveris. Tui te salutant. Cura ut valeas. Datæ ad VII Iduum Aprilis Bononiæ.

XXXVIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS

S. D.

GEORGIO VASQUIO

Doctiusne, an amantius scriptæ essent litteræ tuæ, quas ad me Collegæ mei attulerunt, vix potui intelligere; tamen illud plane cognovi te utroque in genere plurimum posse. Quam ob rem tibi utriusque nomine maximam habeo gratiam: ea enim quæ persequeris cognoscere volebam, quæ vero requiris diplomata, quibus creditum sacerdotium est, habet frater, &, ut opinor, scripta ut volumus. Nam id hæc testantur, & quod conscriptioni præfuit Antonius Augustinus pater. De reliquis sacerdotiis fa-

(a) Et hic Collegii Sodalis, postea ad supremos magistratus & Neapoli, & in Hispania evectus.

ciam, ut vis; addetur enim ad privilegium, aut aliud impetrandum curabimus, quo de eis speciatim caveatur. Illud oblitus sum, sit licet minime necessarium, sed quoniam attingis, dicam. Petrum fratrem sibi persuasisse hispanos reges, privatosve alios nullum optandi sacerdotem inibi jus habere, excepto scilicet Pontifice Maximo. Bernardus quid sibi velit nescio. Sora noster uxorem duxit, quæ dotem attulit non contemnendam: te per litteras salutat. Idem Martinus, cæterique omnes faciunt. Farnesius hac currens in Hispaniam ante quinque dies ut Cæsarem consoletur prætergressus est. Hippolytum, Catharinam, cæterosque domesticos salvere jube, quorum mei memoria gaudeo Tu nos ama, nos admonitore non egemus, neque etiam tu, ut certo scio, sed more nostro loquor. Vale. Ad Sextum Kalend. Junii Bononiæ.

XXXIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS GEORGIO VASQUIO S.

Litteras tuas Venetiis accepi, quibus quid Mariano Socino pollicerentur Veneti, cognovi: ad me autem quid transigeretur te scripturum polliceba-

re. Eas litteras avide expecto, ut si fieri qua ratione possit ut te Bononiæ fruamur, quod maxime desidero, cognoscam. Ego Bononiam Idibus veni. XVI Kalend. Rodrigues tuus Romam profectus est. Ludovicus Alvares XIV Kalendarum Neapolim; uterque tibi plurimum salutis ascribendum curavit. Dorum iterum in fures incidisse cognovi, nam cum Venetiis eum cum viatico dimisissem, & ipse hic aliquot dies fuisset, fiscis illis pecuniam fidit, qui ante tres annos & pecuniam & vestes abstulerant, illi non magis fideles ea etiam pecunia fraudarunt. Ipse graviter, & moleste ferens, viatico ab amicis accepto, in Hispaniam profectus est Kalendis, ut opinor, Semptembris, tertio post Salazaris nostri profectionem die. Hic quiete vivimus, annona est durior tamen. Jo. Anguiano multam salutem, cui scribendum non putavi, propterea quod noluerit ad me exemplum illorum librorum, quibus tota (ut sibi persuasit) res musica continetur, mittere. Martino, Gilio, ac cæteris salutem dic. Cura ut valeas. Decimo Kalend. Octobris. Bononiæ.

XL.

ANTONIUS AUGUSTINUS
GEOR. VASQUIO JONNIQUE ANGUIANO
S. P. D.

Moleste fero silentium vestrum, præsertim cum a Bernardo Bolea nostro, quem hoc nomine vexare solebamus, litteras acceperim Eseniæ X Kalend. Decembris datas. Sed vos (opinor) studia vestra impediverunt; illum ratio provinciæ: est enim in maxima (ut scribit) ignoratione nostrarum, hispaniensiumque rerum, atque aliter acceptus quam putarat. Idque a multis audio, illum esse unum e minoribus magistratibus. De ære alieno se ad me meos nummos misisse scribit per militem nescio quem, qui in militiam profectus nusquam apparuit, missurum tamen propediem per fidos mercatores. Polus tuus est pari dignitate, atque Atodus Neapoli. Ludovicus Avila sacerdotio Jacobitano opimo a Cæsare honestatus est; qui in ad Pirenæi radices ante mensem erat navibus in Germaniam iturus. Parisius noster tandem δίβακον adeptus est, scio vos eo nuntio (quod ego facio) lætari. Meus Alciatus eo fortasse spectat, qui nos omni genere doctrinæ hos duos menses erudivit; nam & disputatoribus interfuit, & diligentissime est interpretatus,

dictavitque nihilominus accuratissime. Vicit mehercule expectationem. Quare approperate, & litteras interea omnibus de rebus. Valete. Ad tertium Kalendarum Januarii.

XLI.

ANTONIUS AUGUSTINUS HIERONYMO OSORIO SALUTEM.

Cum librum tertium de nobilitate tuum in manus accepissem, ita præparatus (quod inter nos convenerat) ut omnes Aristophanes, omnes criticos exagitando eo superarem, vix unam, atque alteram paginam legi, cum raptus illa verborum dulcedine, illaque rerum auctoritate reprehensus sum, excideitque mihi de manibus stilus ipse censorius meus, cujus mucronem, ut tibi satisfacerem, acueram paulo ante diligentissime. Quid quæris? totum ante volumen perlegi, quam mandatorum tuorum mihi veniret in mentem. Cæpimus tamen tum, aculeis tui amoris excitati, stilo recepto, ut imperiti medici, manus integræ corporis parti inferre, ne frustra vocati fuisse videremur. Cumque satis esse vulnerum ac sanguinis existimavi, cruentum tibi librum sauciumque reddo, quem mihi tu & integra valetudine, & firmo corporis robore miseras; id

ipsum esse existimans vitiosum, quod nihil esset in eo vitii. Neque hoc erit inutile tibi, quod te cautiorem reddet curatio, atque adeo carnificina mea; neque facile committes illis liberos tuos, qui ne se quidem regere, aut tueri possunt. Sed ut apud Ciceronem est, qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & naviter oportet esse impudentem, non satis est me illa in te ausum esse facere, nisi easdem plagas refricem. Qua in re te pati æquo animo oportet ineptias meas, etenim dum reprehensoris persona indutus sum, non tam aliena peccata reprehendo, quam indico inscitiam meam.

Atque principio id te admonere non oportet, quod tu jam multo ante cogitasti, tribus istis præclaris libris tuis & exordia deesse, & aliquot locis cum eodem illo, cui libros scribis, sermones, qui eis, qui legunt, maxime sunt delectationi, & quodam modo quieti. Huic autem tertio, nisi quid detrahere velis, (quod me auctore non facies) si trium librorum conclusio oratorio quodam epilogo addatur, in magnitudinem creverit fortasse nimiam. Quam ob rem cum huic ipsi illa, quæ superioribus libris tam apte ex variis latinis græcisque historicis & poetis miscuisti, detraxisse videaris, eo consilio, ut opinor, quod majestati rerum non responderent, censerem esse postremæ præsertim parti restituenda, qua de christianorum virtutibus dispu-

tas: atque ita duos ex hoc uno effici posse. Illa adversus Hetruscum libellum (a) disputatio vellem fuisset verborum præsertim contumeliis moderatior; responderet enim tantæ auctoritati, quantam illis libris præ te fers. Atque cum omnibus nationibus tuos libros conscribas, non tanti voluissem unius hominis inter suos cives sermonem fecisses; cum eadem adversus impiam illam opinionem dici possent, quasi vulgo jactatam: idque ego gravius existimarem. Sed hæc, atque alia hujusmodi a te multo & doctius & prudentius, quam ab ullo unquam excogitari possunt.

Ad verborum censuram venio. In quibus id non probo, quod cum cæteris in rebus cum elegantissimis quibusque contendas, sacrorum nominum religionem tanti facias, ut non semper flectenda esse ab illa duritie existimes. Nam quamvis nonnunquam Davidem, Abrahamum, Jacobum nostra ratione voces; sæpe tamen & Abraham, & David, & Jacob, & Melchisedech, & Azael, quod ego probare non possum. Neque me movent eloquentissimi viri Ciceronis verba, dum Canobon apud Quintilianum, & Thoyth libro tertio de natura deorum meminit; utroque enim loco vocem posuit hominum ita, ut eodem modo avium liceret. Canopitarum, inquit, exercitum ipsi Cano-

(a) Macchiavelli scilicet.

bon vocant, & Mercurium Ægyptii Thoith appellant. Quin priori exemplo licere ejusmodi nomina mollire docuit. Facilius patior græcorum verborum licentiam, ut Paradiso, Angelis, Apostolis, Prophetis, prophetia, psalmis, dæmone, diabolo, ecclesia, paschate, hebdomada, in his præsertim sacris, non ita in aliis, ut monarchia & stemmate, utaris; atque eadem ratione triadem, quam trinitatem malo dici. Quamquam in his ipsis modus, qui est a te optime observatus, optandus in aliis est. Minuta nunc quædam verba, quibus ego notam adscripsi, a principio percurram. Tu poteris locos ipsos facile ex notis, & hoc ordine invenire. NOTAE. Habes, mi Hieronyme, maximi mei erga te amoris signum. Tu, si me amas, has statim litteras scindes, in quibus tu multo plura vera peccata animadvertes, quam ego falsa in tuo esse libro simulo. Vale.

XLII.

HIERONYMUS OSORIUS
ANTONIO AUGUSTINO S. D.

Legi libentissime litteras tuas, quibus istam insignem erga me benevolentiam facile declarasti. Etenim cum pro meo incredibili amore erga te fie-

ri non possit, quin omnia mihi abs te grata atque jucunda contingant; id tamen est mihi longe gratissimum, quod ista tua censoria notatione omnes amicitiæ partes singulari studio suscepisti. Nullum enim majus beneficium ab amico conferri potest in amicum, nec in quo magis animi ingenui virtus, & probitas elucere possit; quam fidelis admonitio, & acris interdum atque severa animadversio. Tamen, quod ad severitatem attinet, fuit mihi molestum, quod non ita vehementer, atque ego vellem, commentarii nostri vitia represseris; suspicor enim te multa consulto prætermisisse, ne universa reprehenderes; multa etiam propter amorem illum, quo me amplecteris, non vidisse: & quamquam abs te enixe contenderam, ut in libello judicando amici personam deponeres, acerbissimi censoris assumeres, existimo tamen, te id frustra conatum fuisse. Nec enim adduci possum, ut credam, non multo plura esse in eo culpanda, quam ea de quibus me per litteras admonuisti. Non est igitur, cur te nimium jactes, & omnes Aristophanes, & criticos superatos esse dicas: cum ipse intelligam, styli tui mucronem fuisse amore nimio retusum. In quo vero ais, te librum, quem sanum atque valentem receperas, multis vulneribus afflictum ad me remittere, salse & perfacete ludis. Illum enim ad te omnibus morbis implicatum detuleram, ut medicinam afferres, om-

nesque ex illo vitiosas partes exsecares, a te autem ita mihi redditus est, ut spes sit, illum brevi ad sanitatem perventurum. Quod si tu severius agere, & omnem illum vitiosum sanguinem mittere voluisses, non laboraremus. Tantum igitur abest, ut illa tua, quam carnificinam appellas, gravis mihi sit, ut etiam nomine indulgentiæ sis mihi admodum suspectus.

Quoquo modo tamen se res habeat, amo te plurimum, quod egregiam operam, & valde utilem magna studii significatione mihi tribuisti; multaque mihi in memoriam redegisti, quorum nihil omnino in mentem veniebat, veluti est illud de sermonibus, qui solent aliquot locis cum eo cui libri scribuntur haberi. Librum vero istum cogitabam in duo corpora dividere; ut in singulis possem commodius evagari; quod nunc faciam multo studiosius, posteaquam id tibi placere sentio. De Hetrusco authore, quod me admones, idem etiam Metello videbatur. Quare faciam impudenter, si utriusque præscripto non obtemperem. In reliquis omnibus sequar authoritatem tuam, quæ quantum ponderis habeat apud me, est explicatu difficillimum. Multa igitur iam, aut potius pleraque omnia mutavi. Sunt tamen quædam, quæ non omnino possunt mihi displicere, fortasse quod me nimium amo: ut est illud, in quo proprie non tibi satis ex-

pressa videntur, *præbere perfugium afflictis, tribuere misericordiam perculsis*, & nonnulla alia, quæ integra reservabo tantisper, dum tecum ista omnia pluribus verbis communicare liceat. Nec enim putes, te omnibus laboribus, quantum ad istam rem attinet, esse perfunctum; statui enim nihil prorsus efficere, nisi te prius consulto. Sed de iis coram multo prolixius tecum agam. Vale, tibique persuade, te unum fore mihi semper charissimum.

XLIII.

HIERONYMUS OSORIUS
ANT. AUGUSTINO S.

Vereor ne a me litterarum officium requiras, non quidem oblivione, aut negligentia, sed multitudine negotiorum a nobis superiore tempore prætermissum. Nam posteaquam in Lusitaniam venimus, & primis illis diebus regis adeundi molestiam pertulimus, reliquum tempus omne dedimus amicorum salutationi; qui rursus erant a me ordine resalutandi. Hæc igitur officia, quæ mihi homini presertim & lusitano, & in hoc genere plusquam satis ambitioso, erant summa quadam religione tuenda, me tenuerunt, quominus te de omni meo statu fa-

cerem certiorem. Nunc quando hoc onere magna ex parte liberatus sum, scribam ad te quam sæpissime. A te vero summa ope contendam, ut ad me prolixe respondeas, atque desiderium tui, quo mirifice conficior, isto litterarum beneficio leniendum suscipias.

Quantum vero ad res nostras attinet, videmur Ludovici principis omnibus rebus ornatissimi benevolentiam obtinere, & illius liberalitate frui propediem speramus. Quod autem interdum ostendisti te vereri, ne malevolorum hominum artificio esset aliquid regis auribus inculcatum, quod difficile nobis negotium exhiberet, propter hominis illius consuetudinem, cui me & instituta jampridem amicitia, & studiorum similitudo conjunxerat, nihil est quod vereare (a). Intellexit enim rex me simpliciter & candide principis illius amicitiam appetivisse; & ubi primum rescivi me in ejusdem familiaritate sine regis ipsius offensione esse non posse, urbem continuo deseruisse. Itaque nec illa conjunctio mihi fraudi fuit, & hunc discessum spero etiam laudi fore. Nostra interim studia miserrime jacent. Nam præterquam quod in regia parum loci Musis relinqui soleat, sum orbatus illis præsidiis, sine

(a) De his omnibus, uti in præfatione diximus, nihil in Osorii vita ab ipsius fratris filio scripta.

quibus litterarum studia coli nulla ratione possunt. Libri enim mei nondum huc appulerunt. Metuo ne sint a piratis intercepti, & in Mauritaniam, inclitum profecto, ut vides Musarum domicilium, delati. Quod si fit, quando vestris interdictis uti non licet, opus est ut Minervam armatam veneremur, & aliquando arma induamus, ut libros Palladi sacros armis ipsius Deæ repetamus. Atque ne me jocari putes, habeto, nihil esse tam propositum nostris principibus, quam exercitum firmissimum in Africam aliquando traducere: hoc tamen negotium propter infinitas difficultates, quibus affecti sunt, in aliud tempus distulerunt. Nos igitur, ut existimo, tantisper illis libris carebimus, dum bellum non comparabitur. Accepi enim navem quamdam, quæ ex Italia in Lusitaniam veniebat, fuisse captam a Mauris, & timeo ne fuerint in eâ impositi nostri libri. Sed de his hactenus.

A te vero, mi Augustine, peto, ut eam voluntatem, quam erga me semper habuisti, perpetuo conserves, nec ullo modo committas, ut hominis tui amantissimi memoriam aliquando deponas. Certe quantum ad me attinet, summum facinus me fecisse confitebor, si non tibi eximium quoddam, atque singulare studium, in omnibus rebus, quæ ad laudem tuam pertinebunt, animo atque fide singulari præstitero. Nostrum Metellum, quem ego propter

ejus ingenium, ac eximiam in omni genere probitatem semper in primis amavi, velim meo nomine salutes, cum primum ad illum scripseris. Brevi etiam aliquid litterarum ad illum dabo. Eram pene oblitus narrare tibi quanta comitate me complexus fuerit frater tuus(a), fortis sane vir, & in omni genere laudis excellens. Cum enim in Cæsaris comitatum nec opinans incidissem, fui a Francisco Lupo ad illum deductus; eique omnem meam operam & studium sum pollicitus, is autem vicissim summa humanitate me prosecutus est. Sed de his alias prolixius ad te scribam. Vale. Olyssip. IV Kal. Julii anno Domini MDXLII.

XLIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS
HIERONYMO OSORIO S.

Et te salvum in patriam rediisse, & principi tuo, regique carum esse, vehementer lætor. Eam tamen ipsam lætitiam multo jucundiorem fecisti amantissime atque elegantissime scriptis litteris tuis, quibus singularem illum erga me amorem tuum tam

(a) Is erat Joannes Augustinus tertius Antonii frater.

præclare testatus es. Nam quod me itineris tui, adventusque tam diligenter certiorem facis, ostendis, quanti a te fiam; quod vero & Joanni fratri scribis te fuisse prolixe pollicitum, & desiderium te mei tenere, cui vis frequentia litterarum nostrarum medicinam facere, maximam tu quidem amoris vim & benevolentiæ depromis. Sed cum mihi hac in re nihil præter spem atque expectationem evenerit, quæ mihi etiam ipsa divinatio fuit periucunda, & cum multis ante diebus ita mihi persuaserim nullis cedere tui erga me amoris cumulis, quin ipse multo te aut amem, aut amare existimem ardentius, maximam mihi voluptatem creavit tum tui erga me amoris retentio, tum ejus ad nostrum hunc, quem majorem esse opinor, comparatio. Hæc ideo tam multis de amore mentio a me facta est, quod ad Lupum nostrum scripseris, te quodam fuisse platonico amore tentatum; cui si tu præclaræ philosophiæ addictus es, habes ex eadem schola sumtum nostræ epistolæ argumentum; sin minus, vere me & ex animo ea scripsisse existimato. Quod bibliothecæ tuæ tam male auguraris, ut ferro res tuas repetendas censeas, equidem nolim te tam bellis sodalibus diu carere; sed si eis necessario carendum tibi est, arbitror eos per se Mauritaniam ipsam omnem humanitatem esse docturos, ut cum punica ista tuorum regum expeditio illa loca attigerit,

sponte sint mauri ipsi deditionem facturi, quos nunc barbaros & feroces existimamus.

De nostris rebus quod scribam nihil est. Urgeo enim illas ipsas de pandectarum emendatione cogitationes. De Collegio e Lupi (a) nostri litteris puto te cognovisse, si quid erat novi. Illud pene eram oblitus, ut de ea epistola, quam ad te versibus scripsi ante aliquot dies, quam tuam accepissem, mentionem facerem. Quæ si ad te perlata est, eo nomine erit grata, quod in tui nominis memoria omne id tempus consumserim, quod conficiendis illis impendi. Sin autem lucubratio nostra periit, non magnam te jacturam fecisse putato. Domingues Molo noster in pannonico exercitu artem suam naviter exercet. Phileno modestissimo viro negotium aliquot menses exibuit gravedo, nunc ei meliuscule est. Cum Romulo Amasæo nostro hodie mihi fuit multus de te sermo, cum ad D. Petri honori Damiani Hortulani uterque nostrum inserviret. Habuit is ante paucos dies de Gasparis Contarini Legati vita funebrem concionem, qua nihil audivi omnibus partibus perfectius, & elegantius (b). De

(a) Multi fuerunt Collegæ aut *Lopes* aut *Lobo* nomine, sed hunc fuisse opinor Martinum Lopes Lobo, qui cum esset lusitanus eborensis diæceseos magis familiari consuetudine cum Osorio conjunctus esse debebat.

(b) Hæc Romuli oratio inter eas, quæ a suo filio Pompilio anno 1564. editæ sunt, non legitur; sed de ea in vita

bellorum incendiis, quibus bona Europæ pars ardet, credo te habere certissimos nuntios: extinguendis his, & regum animis placandis Sadoletus, Silviusque (a) electi sunt: qui si rem tantam aut divino auxilio juvante transegerint, aut in eo strenue operam suam navaverint, næ illi omnium christianorum principum, vel hominum potius gratiam optimo jure mereantur. Omnes nostri, tuique familiares tibi plurimum salutis dicunt. Vale, & si me valere vis, crebro ad me litteras dato. Kalend. Septemb. Bononia.

XLV.

HIERONYMUS OSORIUS
ANT. AUGUSTINO S. D

Cum omnia mihi abs te jucundissima proficiscantur, tum hoc tempore nihil mihi jucundius litteris tuis accidere potuisset, & hoc multis de causis. Pri-

---

Contarini Ludovicus Beccadellius, & mss. *Annales bononienses* in Bonon. Instituti bibliotheca asservati, & a can. Jo. Baptista Morandio laudati, late loquuntur. *Monum. Beccad.* t. II. pag. 52.

(a) Sadoletus ad Franciscum I legatus fuit; Michael Silvius ad Carolum V.

mum enim me paulatim a musarum studio discedentem, & jam agrestibus institutis patriæ viventem, ad humanitatem versibus tuis elegantissimis traduxisti; deinde singularis tuæ erga me benevolentiæ memoriam amantissime retulisti; postremo de communibus amicis ea, quæ me velle intelligebas, magna cura, atque diligentia nuntiasti. Sed quo majorem fructum ex litteris tuis capio, eo magis desiderio tui conficior. Nunc enim video quos fructus mihi præsenti tuæ consuetudinis suavitas afferebat, cum epistolis tuis absenti opis tantum attuleris. Quod autem ad versus attinet, remunerarer te eodem genere, si mihi facultas daretur. Sed nescio quomodo Calliope, quam tenes familiaritate atque consuetudine devinctam, habet a nobis animum alieniorem, quam habere consueverat. Postea quam illius numen mihi propitium reddidero versibus tibi respondebo.

Interim vero quamdiu id non licet, ad eam partem litterarum tuarum soluta oratione rescribam, qua me felicem prædicas, mihique in patriam ac adeo in parentum complexum venisse gratularis. In quo quidem satis ostendis te nescire quæ tempestas mihi subeunda sit, quanti impetus invidorum meorum sint mihi in mei principis aula perpetuo sustinendi. Atque vide quantum intersit inter meam atque tuam conditionem. Tu a tuis longin-

quus, in tanto armorum discrimine, & rerum omnium perturbatione, otio, & studio abundas: ego in patria mea, quæ est nunc in summa pace, sum bello durissimo implicatus. Quod si id genus belli fuisset, in quo mihi fructum aliquem laudis proponerem, æquo animo exitum hujus certaminis expectarem. Nam aut ad spem triumphi excitarer; aut saltem uterer illa Homeri magniloquentia μη μαν ἀσπουδεγε και ἀκλειως ἀπολοιμεν, deinde illud repeterem ἠε τῳ κυδος ὀρεξομεν, ἠε τις ἡμιν. Cum igitur illo solatio caream, quo fortissimi homines se ipsos in rebus asperis consolantur, quid mihi relinquitur, nisi ut utar illo genere querimoniæ, quo Ulisses jactatus illis maximis fluctibus a Neptuno concitatis, utebatur. Νυν δε με λευγαλεω θανατω εἱμαρτο ἁλωναι. Te interim in istis motibus terque quaterque beatum commemorabo, quem Musarum præsidio munitum nulla barbaria violare audeat. Quod si planius scire vis quo genere belli premar, habeto, certos homines valde potentes omnes industriæ nervos contendere, ut me excludant eo loco, quo me non modo tu, sed omnes amici nostri dignum esse statuebant. Hujus autem improbitatis indicium fuit ad me per homines mei amantissimos nuper allatum: istos si vinco, non magnificum triumphum egero; si vincor, turpissime ex hac contentione discedam. Ego tamen cum omne salu-

tis atque dignitatis præsidium habeam in Christi benignitate constitutum; tum ex omnibus curis facile in virtute & humanitate Ludovici principis acquiesco: ad omnem tamen eventum animo paratus sum. Hæc scripsi, tum quia nostri amoris magnitudo postulare videbatur, ut omnem vitæ meæ cursum & fortunæ varietatem tibi demonstrarem, tum ut gratulationi epistolæ tuæ responderem.

Nunc venio ad alteram epistolam, in qua me singularem illam erga te benevolentiam retinere tibi vehementer gratum esse scribis. Affirmas deinde, te illum amorem platonicum, cujus ego ad nostrum Lupum scribens mentionem feceram, olim a te libentissime susceptum, constantissime conservare. Quod autem attinet ad hanc philosophiam, scito me illi cælesti Cupidini, qui est in convivio Platonis divinis laudibus ornatus, esse jam pridem consecratum. Illius igitur facibus fit ut quotidie magis inflammer in tui cupiditatem. De libris meis, quibus tam male ominabar, noli laborare, jam enim in potestatem meam pervenerunt. In eo vero, quod scribis te multum operæ in emendatione pandectarum ponere, magnam mihi spem attulisti, fore ut aliquando vestræ prudentiæ particeps efficiar. Nec enim dubito, quin sis præclaras illas tuas commentationes in lucem, & communem omnium utilitatem prolaturus. Quod si feceris, nullis interdictis

me quisquam perterrebit, quominus possessionem juris civilis usurpem. Molonem nostrum militarem disciplinam cum arte medica conjunxisse non sum admiratus. Omnes enim illius impetus ad laudem novi. Credo illum minime contentum ea gloria, quam sanandis amicis assequebatur, ad eam aspirare etiam voluisse, quam infirmandis inimicis consequi poterit. Philenum virum optimum, & in omni genere litterarum politissimum, & mihi propter multam ingenii suavitatem carissimum, meo nomine plurimum saluta. Romulum Amasæum, virum non modo maximarum artium disciplinis instructissimum, verum etiam omni virtute, & officio ornatissimum, ipse per litteras salutabo. Cum his libris mitto tibi nostros de nobilitate civili, atque christiana commentarios, a nobis his proximis diebus in lucem editos. Qui, si eos in clientelam tuam receperis, omnes omnium impetus facillime sustinebunt. Vale, & nos, ut facis, ama tuo ille amore singulari. Almeirini XIV. Kalend. Mart. Anno a Christo nato MDXXXXIII.

XLVI.

ANTONIUS AUGUSTINUS

S. D.

HIERONYMO OSORIO.

Suavissimis litteris tuis, quas tu ad XIV Cal. Martii dederas, ego ante viginti (opinor) dies Venetiis accepi, maximis itinerum,& negotiorum molestiis impeditus, rescribere ad hunc diem nequivi; nunc etsi non corporis, animi tamen curæ cogitationesque meæ liberum me esse non sinunt. Quamobrem ignosces, quæso mi Osori, nostris solicitudinibus, si neque elegantissimæ epistolæ tuæ minutatim respondebo, neque tecum ita colloquar, ut soleo. Et principio ne hæc ipsa te epistolæ pars conturbet, nihil adversi est, omnia salva, omnia, ut optamus, prospera, atque etiam nonnulla divina liberalitate consecuti ante sumus, quam, speraveramus, aut cogitaveramus. Sed ut te simul occupationum nostrarum, & secundarum rerum faciam certiorem, nostrarum rerum commentaria conscribam.

Cum in pandectarum emendatione, ut ad te scripsi, diu multumque laborassem, atque ea in re nostros homines juvare cogitarem, Venetias ante Iunias calendas sum profectus, ut cum Ioanne

Metello nostro, quem Patavio evocaveram, conscribendis nostris emendationum, & opinionum libellis (ita enim inscripsi) operam darem. Id cum fieri cæptum esset, nosqne græcis libris civilibus, quorum illic magna copia est, legendis & conferendis librariorum ineptias misceremus, ecce tibi Metellus noster acerbo quodam κολικῷ dolore correptus est; & eodem temporis puncto ego Cremonam excurrere sum coactus ad cæsarianos quosdam familiares meos salutandos, & diplomata a Pont. Maximo accipienda elnensis Sacerdotii (a), quod Petro fratri a Carolo Cæsare fuit Barcinone delatum. Urgebat hinc fraternus amor, novaque nostro generi dignitas Pontificia, illinc amicitia singularis, & nostrarum nugarum scriptura. Quæris, quid egerim? tenui tantisper me, quoad melius Metello esse visum est, deinde Arnoldo Arlenio optimo viro, & utriusque linguæ cum primis perito, Phileni nostri, & Metelli valde familiari, & amici valetudinem, & nostros libros commisi. Tum maximis itineribus Cremonam perveni pridie ejus diei (b) quo Cæsar ad XII. ab ea urbe milliare Paulum conventurus erat. Eum ego prosecutus sum, quatuor-

(a) Fuit Petrus Augustinus tunc elnensis Episcopus creatus, postea Oscensis.

(b) De celebri congressu Pauli cum Carolo Buxeti habito hic sermo est.

que illos colloquiorum dies salutandis nostris amicis consumsi, & aliquibus illius familiaribus. Eodem Calcenna noster venit, & Petrus Molo; hic est Cæsarem secutus, nos Pontificem. Nunc totos dies pontificiis istis viris servio, & minime jucundis negotiis operam do. Pungit enim me, & has ipsas molestias interpellat venetarum rerum recordatio: etsi enim de Metelli salute certior factus sum, & de ejus, Arleniique cura omnia spero, tamen librariorum nimiam negligentiam vehementer metuo, ne omnem diligentiam defatiget.

Habeo recens librorum tuorum exemplum, qui cum omni elegantia, & divinæ humanæque philosophiæ ornamentis essent ita perpoliti, ut eo nomine & tibi & patriæ & his temporibus gratulari debeamus; tamen quas plagas ab hujusmodi hominum imperitia acceperint, vides, & jure meritoque in tuis ad Lupum nostrum litteris quereris. Eos ego libros cum vehementer appeti a doctissimis quibusque, & a magnis aliquot viris viderem, Venetiis iterum scribendos curare cogitabam; sed cum mihi librarii non satisfacerent, Basileam potius ut mittantur curabo. Omnia enim illic accuratius scribuntur, & eam provinciam in se Metellus tuus recepit. De invidis illis tuis moleste tuli, esse qui istius vitæ religionem, ut ingenium & eruditionem omittam, non suspiciant, & admirentur. Feren-

dum tamen est, & devoranda quædam, ac oblivione delenda, ut a te ipso discere incipiant, ferre, quam inferre injurias multo esse præstantius: quod tu pro tua prudentia moderabere.

Armorum tumultus, qui undique circumstant, minime, quod nunquam antea, Italiam attingunt. Inferi tamen maris littus gallorum, & turcarum classis reddit infestum. Apud cimbros maximæ omnium nationum contentiones sunt, ad quos Cæsar profectus est Tridento tertio nonas quintiles In Pannonia turcæ Viennæ oppugnationem aggredi dicuntur. Nos Bononiam ante idus relinquemus, ut de nostris libris quid actum sit videamus, quos non multo post has litteras acceptas Salmanticæ ad te deferre curabis, si modo verum est, quod ais expilare te velle juris prudentiam. Sed vale. Datum postridie nonas quintilis.

Cum superiora scripsissem non satis, ut vides, sedato animo, relegi quæ scripseram, ac in Phileni nostri mentionem incidi, cui tu ignarus scilicet tanti mali salutem diligenter adscribis. Scribendum itaque esse putavi, Philenum nostrum non multo post, quam ad te scripseram gravedinem ei esse molestam, maximo amicorum, & notorum omnium dolore ereptum esse. Id tibi acerbius esse quam mihi fuit, non opinor: uteris enim prudentia majore. Sed tamen consolata me est spes, quam de ejus viri ma-

nibus concepi, & existimo nihil illi mali accidisse, idque certius esse nobis potest, quam si eum vivum valentemque perpetuo Bononiæ, aut inGallia reliquissemus.

XLVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
HIERONYMO OSORIO S.

Graviter fero te tam longe a nobis abesse, ut vix duodecimo quoque mense suavissima consuetudine nostrarum epistolarum uti possimus. Neque minus molestum est aut cum ipse ad te litteras do, aut cum tuas lego, nullis recentibus nuntiis nos posse exhilarari. Quid enim nunc ad te scribam aut de nostris rebus, aut de amicis, quod cum Pontius noster infero mari excurso, pregrataque utraque Hispania, ad te detulerit, non tibi solicitudinem potius adferat, quam lætitiam? Nam si quid in his rebus, quas post longissimum tempus audivimus, inest jucundum, aut gratum, dolemus nos tamdiu eo nuntio esse privatos; sin autem acerbi aliquid accipimus, torquet omne id tempus nos, quoad aliis litteris tandem aliquando reficiamur. Illud in malis nos consolatur, quod præstat eadem

hæc aliquando, quam nunquam audire. Quod etsi non satis sit ad animi tranquillitatem consequendam, tamen cum ostendat in neutro esse culpam, quæ tota locorum est, ac temporum, omittendum non est jucundissimum hoc scribendi (ut ita dixerim) officium. Itaque scribam nunc ad te quæ post eas litteras, & superiori anno post nonas Quintil. & nobis, &nostris amicis ac familiaribus evenerunt. Quæ si Lupi nosti litteris frequentioribus cognita magna ex parte tibi sunt; tamen hæc ipsa brevis narratio non erit tibi, ut opinor, injucunda.

Cum igitur Venetias ad nostros libellos essem reversus Quintili mense Metellum nostrum non satis confirmatum reperi, nostras vero nugas non esse bellissime ab imperitis illis librariis acceptas. Sed partim nostra diligentia, atque labore non mediocri, partim etiam aliorum auxilio Idibus Septemb. & librorum scriptura,& Metelli valetudo finem, quem optaveramus, consecuta sunt. Quid eo libro consecuti simus,id aliorum erit judicium; me quidem, ut nunc se res habet, nostrorum laborum non pænitet. Curavi autem, ut aliquot exempla Salmanticam mitterentur, unde tibi petere, si tantum otii tibi est, unum atque alterum librum poteris. Quæ cum Venetiis essent peracta, incidi in græcos quosdam legum, & pontificiarum regularum libros, qui me ad Jdus Octobris detinuerunt. Unde argumentum aliarum

cogitationum mihi natum est. Est enim nunc in manibus græcarum legum Justiniani, quas νεαρὰς appellavit, emendatio, atque interpretatio. Quod opus, si mihi otioso esse licebit, tres hos menses absolvetur. Est etiam juris pontificii exornatio nescio quæ, quam post romanæ bibliothecæ libros aliquot lectos, ut desidero, si per litigiorum pericula licebit quæ nobis impendent, condiscipulis nostris daturi sumus. Habes de Veneta peregrinatione, & occupationibus meis: cognosce nunc reliqua, mécumque suscipe earum rerum solicitudinem, in qua versor; neque enim arbitror te minus nostris molestiis affici solere, quam me.

Maximum dolorem accepi Idibus Novemb. Fernando Duce (a) Sororis meæ viro mortuo, quem ut scis, nostræ familiæ patronum & columen nunquam mihi videre licuit. Non minorem nuper, Hieronyma (b) altera sorore Martio mense privatus, quæ filias octo, filios duos orbos reliquit. Neque enim est magna spes patrem tot filiabus recte consulturum. Utrumque hoc domesticum vulnus suspicor te velle, ut nobis non magno dolori sit: atque is plane dolor aut aliis curis, aut occupationibus lenietur indies magis. Isabella autem soror, quæ vidua cum filiabus duabus relicta est, me ad eam li-

(a) Cardonensi Isabellæ marito.

(b) Nupta fuerat Roderico Palafoxio Rebolledo.

tem, quam cum ea viri hæredes gerunt, evocat; quod & pietas suadet, & fratres rogant, & ego maxime cupio. Sed me Februario mense eo proficisci cogitantem, tum Ænobarbi archipiratæ classis deterruit, tum magna quædam spes, vel potius metus non mediocris maximorum negotiorum: neque enim arbitror ignoras, Q. Cæsarem a Pont. Max. postulasse, ut doctissimo viro Lud. Gometio(a) sufficerer. Quod ipsum etsi neque repudiatum sit, neque constitutum satis, me tamen non mediocriter movet. In hoc enim nunc rerum statu sum, ut si optare mihi liceat, utro velim modo rem transigi, non facile dicerem.

Habes de nostris rebus & curis. Cæteri valent, & in studiis suis versantur, hoc est Calcenna, & Lupus tui. Metellus Romam & Neapolim profectus est magno desiderio cognoscendæ antiquitatis, & veterum librorum. Revertetur autem in patriam Octobri, ut opinor, mense. Feret fortasse secum tuscarum pandectarum exemplum a docto quodam viro, mihique conjunctissimo, recte conscriptum, quo possit munere maximam gratiam apud omnes nationes consequi, quam spem nos nostris libellis excitavimus. Duos vero libros elegantissimos, quibus

(a) Fuit hic Lodovicus Gomez Oriolensis Patavii professor, tum romanæ rotæ XII vir, & demum Sarnensis Antistes.

tibi multos magnosque viros amicos parasti, Basileæ edendos curabit. Ruitius Sarmatas jus civile docet, in pretioque est. Domingues Molo in Cæsaris exercitu versatur: cæteri collegæ mei aut Neapolim ad magistratus profecti sunt, aut hic operam dant Juri civili, uno excepto Alphonso Patigno, qui cum eadem de causa in Hispaniam proficisceretur, qua Petrus Pontius, naufragium passus est in Narbonensi littore. De regum & populorum insaniis nihil est, quod scribam, habet enim & rex & princeps iste tuus cotidianos earum rerum nuntios. De libris autem, qui nobis majori curæ esse solent, scribam, exortum esse a Gallia Tullianum quemdam Aristotelis interpretem Joachimum Perionium, virum religiosæ conditionis, si ita loqui licet(a). Is præclare omnes græcorum librorum interpretes ad Ciceronis imitationem, in qua nimius nonunquam est, adhortandos esse existimat. Quæ res, ut arbitror, æmulos meliores, quam reprehensores habebit: sed excessimus epistolæ modum. Tu meam loquacitatem imitare, si me jucundissimo munere donare vis. Vale. Idib. Quintilib.

(a) Scilicet Ordinis S. Benedicti.

XLVIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Scripsissem ad te antea de nostro adventu, deque ea tuorum erga nos singularium beneficiorum recordatione, quam apud omnes homines testatam esse cupimus; nisi utriusque rei a nostris isthic certior fieri potuisses, & nisi te, quod e paucorum dierum familiaritate nostra cognovi, malle existimasssem juvandis hominibus, quod semper opera consilioqne tuo facis, operam dare, quam iis legendis, quæ vel aliunde cognosci, vel per se suspicari queant. Nunc vero Collegæ cujusdam mei docti viri, & probi commodis consulens cogor ipsas illas optime positas occupationes tuas meis litteris interrumpere. Et quamquam impudens esse aliis videtur ab eo, cui plurimum debeas, plura petere; te tamen ita animatum existimo, ut non minus tibi satis qui nova beneficia petunt faciant, quam qui gratiam cumulate referunt. Abs te igitur peto, ut me eorum magistratuum, qui intra proximos hosce octo menses isthic deferentur, certiorem facias, qui sint, & quo tempore deferantur, & anne locum ei fore existimes petitori, qui postea quam his litteris rescripseris prehensandi initium faciat. Hoc te vehe-

menter oro, ut quamprimum per negotia possis, rescribas ad me hac de re accurate. Illud vero cum libebit, quod altera pagina ex Theophili institutionibus scire cupio.

Joannes Metellus meus tibi plurimam salutem dicit. Patavium. ut opinor, non ante Nonas Martias proficiscetur. Τῶν νεαρῶν librum in Marciana bibliotheca isthic nos vidisse diximus multo locupletiorem Norico; exemplum hic est apud Dominicanos sodales cum Ludovici Bononiensis pandectis, quo exemplo Haloander est usus: sed, ut idem ait, quasdam præfectorum prætorio formulas de accessionibus possessionum, & quomodo oporteat in possesionem mittere, aut noluit, aut non potuit edere. Si velis, ex Marciano libro describendas curare potes, quæ illic in fine ejus libri scriptæ sunt. Hoc te, quicquid est, scire volui. Illud pandectarum græcum compendium, quod tuæ romanæ litteræ significabant, nullum adhuc vidi, præter Constantini Harmenopuli πρόχειρον, de quo apud te locutus sum. Quoties ad Joannem Luuam meum scribo, scribo autem sæpe, tui mentio fit a me, ut oportet, honorifica. Vale, & me, ut amas, ama. Bononia pridie nonas Februarias.

XLIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P D.

Merito te amo, mi Læli, quippe qui te mihi & præsenti & absenti tam munificum præbes. Duas a te epistolas accepi, quibus de magistratibus, & de Theophili institutionibus diligenter perscripsisti: quo nomine tibi maximas gratias ago. Joannes Metellus meus, vel noster potius, qui nondum Patavium profectus est, tibi dicit plurimum salutis, & maxima contentione ambo a te petimus, ut doctissimas illas lucubrationes tuas in lucem proferas quam primum, atque (quod te tua sponte facturum speramus) ut nostri semper memineris. Vale. XV Kalend. Majas Bononia.

L.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Petrus Pontius collega meus, qui ad te has litteras attulit, est mihi non solum propter collegii religionem conjunctissimus, sed propter ejus in no-

stra disciplina progressus, & probatissimos mores valde carns: gratissimum mihi feceris, si eum in aliquo magistratu isthic adipiscendo juvaris; ejus enim viri causa tantopere a te superioribus diebus petii, ut me de istis magistratibus certiorem faceres, & ut audio, est nunc aut in illo de qno scripsisti, aut in alio Judicum numero locus. Quidquid ea in re operæ posueris, in memorem gratissimumque hominem collocaveris; idque ego acceptnm feram. Illud vero cnm per negotia licebit, velim me certiorem facias, quid existimes significare *aversione locarc* apud jureconsultos. Videor enim meminisse, legisse me in tuis commentariis elegantem quamdam ejus rei interpretationem, cujus tamen sum oblitus: & nescio an hæc sit, ut nulla exacta distinctione, aut cautione speciali facta quicquam locetur. Quod mihi non inepte cadere videtur ad XXXVI caput locati, & ad ultimum Legis Rhodiæ, & quartum de periculo & commodo, & id secutus videtur Haloander Novell. LXIV. Sed neque cur ea ratione dicendi soli consulti utantur, scire possum; neque enim existimo ab alio quopiam in eam significationem hoc nomen usurpatum: hunc si a me scrupulum evelles, plus te amare non potero, quam te amo, sed habebo tamen plures amandi causas. Novi nihil præter Petri Victorii ad Catonem & Varronem expurgandos diligentiam, cujus libelli in

omnium nunc manibus versantur. In his amavi expectationem, quam de tuis commentariis facit, quamquam non amavi, quod a tuo nomine abstinuerit. Sed vale, & Pontium meum ornandum, tuendumque suscipe. Kalend. Quintilib. Bonon a.

LI.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Doctissimas atque amantissimas litteras tuas Pontius meus ad me attulit, qui mihi ob tuam erga se liberalitatem mirificas gratias agit cotidie. Ego vero & ob eam ipsam causam, & ob illas litteras quas tibi referam nescio, quas habeam scio, immensas scilicet, & infinitas. De *aversione* ita habeto, mihi pernimium placere, ut in tanta difficultate, sententiam tuam: etsi paulo latius patere existimarem ejusmodi venditionem aut locationem, quam ut solum dicatur cum de pondere numero aut mensura sileatur, ductus cap. XXXV locati, & & IV de periculo, illoque primo de exercitoria. Sed opinor in dies me magis amicum facient opinionis tuæ eædem illæ rationes, & legum vires. *Proconnesi* tui nulla mentio est, quod sciam, tribus illis libris XVII, XVIII, & XIX, quos accuratissime

acceptis litteris tuis perlegi, neque divinare potui ubinam esset id, aut aliud illi simile nomen, nisi forte sub titulo si pars hered. petatur: *Peloponnesi*; quo loco fortasse tu ex Marcelli, aut Politiani libro illud nomen adscripsisti. Habes levissimam conjecturam meam. Ego in illud si casu incidam, te faciam certiorem. Quod etiam te ut & hac de re, & de quavis alia ejusdem generis, aut aliis facias, etiam atque etiam oro. Vale. XVII. Kalend. Sextiles.

LII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Ad XVII Kalend. respondi litteris tuis, fuisse mihi quam gratissima ea, quæ Pontii mei causa fecisti, & quæ de aversione ad me scripsisti placuisse maxime, Proconnesum vero me reperire non potuisse. Has litteras ob eam causam scribo, ut peragendo Pontiano negotio Christophorum Ferreram Leonoræ Ducis scribam consilio operaque tua, quod sine molestia tua fiat, juves. Quod etsi existimarem te tua sponte facturum, scribere ad te volui, ut libentius facias. Vale, & a Metello nostro salvebis. VIII Kalend. in maximisoccupationibus.

LIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S.

Accepi litteras tuas, quibus ut de Ansovini Medicis (a) mercede te facerem certiorem, petis. Et quoniam mihi cum eo nulla adhuc familiaritas est, Metellum nostrum rogavi, ut sciret quanti vellet isthic docere. Qui ita respondit: non posse se de mercede constituere quoad de conditione & docendi munere cognosceret, hoc est quot annos docendum esset, & quot horas singulis quibusque diebus; & quod ille caput existimabat, quam frequens esset habiturus gymnasium, cum iste non satis nobilis sit studiorum locus. Sed licet ab ipsius ore elici merces non potuerit; ex his tamen, quæ ante aliquot dies cum bononiensi Senatu tractabat, opinamur eum Bononiæ, aut Patavii quadringenis, isthic quingenis aureis nummis docturum. De ipso quidem homine ita habeto: hominem esse memoria, facilitate, copia, multarum rerum peritia insignem; præterea probum, modestum, in studiisque, operisque suis diligentem: quibus rebus hic auditorum frequentiam ad extremum tenuit. Vos quid

(a) De hoc multa in præfatione.

illi tribuere possitis, quamprimum scribite; ut ne is dum responsum isthinc expectat bonam aliquam conditionem amittat. Occupationes meæ nolim te moveant, jam enim ab eis liber, tibi operam, quam cupies, navare possum. Vale. Postridie Nonas Sextilis Bononia.

LIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P.

Quo die epistolam tuam accepi, eodem rescripsi, quod de Ansuino existimabam; cui epistolæ rescribas velim. Nunc id tantum novi, incidisse me in XXII Novellam, qua de *Proconneso* tuo mentio fiat: pro quo veteres libri *promisso* aut *compromisso* (si Diis placet) habent. Id si tu secutus es, cum id verbum notabas, non ineptus his litteris fui, sin minus, boni nostram diligentiam consulito. De Pontio meo nihil est, quod scribam; cum adeo te munificum & liberalem præstes. Metellus noster tibi dicit plurimum salutis. Vale. Dat. XIV Kalend. Septemb.

LV.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S.

Duabus epistolis tuis nihil est, quod rescribam: erant enim earum negotia transacta. Nunc vero cum Pontius noster ad te veniat, tum ut de his, quæ pro se apud Cosmem ducem verba fecisti, gratias agat, tum etiam ut videat, quid sit, quod magistratus dationem impediat, litteras ipsi dandas putavi. Cum enim te sciam, quæ pro eo & docto viro & probo facias, libentius facere, quod mihi sit & collegii & amicitiæ vinculis conjunctus; ingentes tibi eo nomine gratias ago. Sed quoniam neque verbis tibi satisfacere possum; neque tu qui bene me, ni fallor, nosti, plura a me desideres, finem facio. Cætera a Pontio audies. Vale. Kalend. Septembris Bononia.

LVI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Nolim te meum horum dierum silentium moveat, ut existimes minus accepisse me voluptatis tum

propter ornamenta, quæ Petro Pontio meo maximo beneficio tuo isthic delata fuerunt, tum etiam propter eam erga me benevolentiam, quam litteris tuis ipsi Pontio, Benedictoque meis datis consignasti. Sed me plane tenuit idem ipsum Pontianum negotium. Neque enim existimabam te magis desiderare ejusmodi officiorum genera, quam ut cognosceres nullam esse in eo vestræ liberalitati fruendæ moram. Itaque nunc cum is sit Jurisconsulti nomen, quod multo ante meruerat, adeptus, gratissima mihi ea munera fuisse, ut quæ maxime, cognoscito. Joannes Metellus noster, qui quam primum Patavium cogitat, tibi plurimum salutis dicit. Cura ut valeas. Nonis Octobris.

LVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Tu quidem, ut soles, mi Læli, vel sponte tua finem numquam facis de nobis bene merendi. Vix enim ad te de Pontii nostri Jurisconsulti appellatione scripsimus, ecce autem nos diplomate ante juvas, quam ipse nostras litteras acceperis. Quodque mihi molestum fuit in re tam grata, adversa id, aut

non satis recuperata valetudine fecisti; ut existimare possimus nostras res tibi te ipso pene fuisse antiquiores. Quas ob res mirifice te, & ut debeo, amo. De nostris præceptoribus ita habeto(a). Marianum Socinum Alciatino stipendio hic jura docturum; Ferrariæ ipsum Alciatum paulo majore: Ansuinum ignoro Patavii ne, an Ferrariæ. Male autem factum quod Laurentio Pino Bononiensi his ipsis diebus simus privati, neque enim, uno excepto Beroho Augustino, parem reliquit. Cura, ut valeas; qua re nihil mihi gratius facies. Dat. Postridie Jduum Octobris.

LVIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D. (b)

Tam frequens est militiæ in jure mentio, ut licet alia multa sint, quæ me ignorare fatear, tamen hoc ipsum turpe puto nescire me confiteri. Sed sive hoc mea solum culpa accidit, sive habent etiam nonnullam nostri interpretes ac præceptores, operam dato, mi Læli, ut quod illorum, aut (quod e-

(a) De his omnibus in præfatione.

(b) Edita est, sed non tota, & discrepat alicubi ab edita.

xistimo) mea negligentia peccatum est, id tu tua doctrina suppleas. Dubito autem in primis cujusmodi illud genus militiæ fuerit, quod *ex casu* appellatum esse Justinianus ait Novella LIII. & XCVII. quodque huic quæstioni proximum est, quæ sint illæ militiæ, quas alienare licebat. Neque enim omnes posse, dicitur illic, & Constitut. V. qui militare possunt. Sed ut, quod ajunt, stultus primus suam sententiam dicat, existimabam aliquando ejus generis esse has, cujus illæ fuerunt, quæ a Tranquillo dicuntur a Cl. Cæsare inventæ, uti imaginario quodam militiæ genere absentes fungerentur. Idque esse credebam, cur vera illa, & legitima militia armata diceretur C. VI & XVIII de re judicata. *Miles*, inquit Ulpianus, *qui sub armata militia stipendia meruit condemnatus, éatenus qua facere potest cogitur solvere*, & alibi crebro. Quod aperte dici videtur Const. singulari: negotiat. ne militent. *Argenti* inquit, *distractores armata quidem militia abstinere sancimus; aliam vero quamcumque sine metu præsentis sanctionis posse sibi adquirere.* Et hoc pacto interpretabar Caput. VI *de re militari*, quo omni militia servi prohibentur. Nam de inermi quoque hac, & togata militia Marcianum illic locutum Cap. XI. De legatis lib. III apparet. *Si Servo alieno militia relinquatur, an domino quæratur legatum, quæritur: & aut scit servum esse, &*

dico, inquit, *æstimationem deberi; aut ignoravit*, *& denegari fidei commissi persecutio debet; quia si scisset servum, non reliquisset*. Legari autem posse, aut hæredibus relinqui aliquas ex his, multis locis dicitur, Ca. XXII & L. de legatis lib. II & Constitut. ult. de pignoribus; item *Omnimodo de inof. testam*. Const. *Illud de coll*. & alibi. Sed hoc tamen mihi scrupulum iniiciebat; item illud quod vendi, pignorique obligari quædam possunt; ut cum hæc in armatis cadere non possent, crederem has non esse Claudianas illas militias; nisi forte paulatim in eam corruptionem ventum esse opinemur. Nam & illud armatarum habere videntur, quod septimo decimo anno minoribus neutras habere licebat. Sic enim interpretor caput C. de Legat. III. & de Minoribus II.

His autem conjecturis ducebar aliquando, ut crederem nomen harum militiarum ex causa fuisse ad illius missionis similitudinem, quæ causaria dicitur cap. XIII de re militari, & II de his qui notantur infamia. Qua tamen in re sententiam tuam expecto. Item illud, ut cures ex Marcianis Novellis hunc mihi scrupulum evellere. Iam vero illud scire velim, quorum stipendiis inermes hi milites militaverint: illa enim LIII dicitur principum liberalitate eos meruisse; at ca. LII de action. empt. a nescio quo deberi salarium. In introitu certe com-

militonibus aliquid solere præstari, centesimo illo capite de legatis scriptum video. Quod & constit. VII de proximis sacr. scriniorum agnosco. Sub quo titulo constitutio ultima indicare videtur palatina officia, quæ nonnumquam illorum librorum constitutionibus militiæ appellantur, vendi successoribus solere. Hæc mihi cuicuimodi sunt probabiliora esse videbantur aliorum interpretationibus, de quibus scire cupio quid sentias; de ea præsertim re, quam Zasius & Viglius ab Haloandro dictam probant, ut quæ hodie barbaro nomine *feuda* appellant, militias fuisse credant. Neque enim illos milites clientes ejusmodi, aut tam lata prædia habuisse crediderim.

Illud præterea velim, quod tamen sine molestia facere possis, a Petro Victorio tuo cognoscas, quid sit in Columellæ editione secutus, ut lib. III cum de vineæ emptione & fructibus æstimandis agitur, mille septingentos quadraginta sestertios nummos ediderit, cum & veteres libri, & Budæus, & Hermolaus mille nongentos quinquaginta habeant: est enim ille locus nobis ob semisses usuras necessario cognoscendus. Sed & illud scire cupio, cur ab eodem Budæo doctissimus iste vir tam sæpe illis libris discedat in sestertiis millibus edendis: cum eodem illo loco sestertia tria millia, & sestertia duo millia scribenda curaverit; quod Budæus scriptum nunquam fuisse existimat,

neque ego ejus rei rationem reperire queo. Illud itaque libens addiscerem, essene ullam existimet inter sestertia & sestertios differentiam: namque ego, qui multum semper tanto viro detuli, non satis justam arbitror perpetuamque sestertii nummi existimationem, ut duos asses, & semissem valeret. Cum Volusius Mæcianus & Justinianus Constitut. ult. De donation. quatuor assibus æstimatum dicant, immutatamque ejus æstimationem bellis punicis fuisse; cujus rei Plinius secundus auctor esse videtur: qua tamen in re utriusque vestrum sententiam expecto. Et quoniam in Victorii mentionem incidi, certiorem me velim facias, quo pacto cap. XVIII de Legatis scriptum sit, *genitur*, ut ille refert, an *gegnitur*, ut nos descripsimus? Nam & illud a me probatur, ut antiquum dicendi genus perire non possit librariorum ignoratione; & eodem modo scriptum scio C. XIV ad finem de rebus dubiis. Item illud videto, an ex istorum librorum scriptura locus ille Catonis, quem doctus iste, & probus vir ut mancum aut obscurum notavit: *Pomderibus modiisque domini datu iri* restitui, intelligique possit. Sic enim Cap. XXXVIII de verbor. obligat. scriptum fuisse arbitror. Stipulatus a Mævio fuerit fundum Titio datu iri, licet virgula adjecta recenter fuerit, quæ non est Cap. XLIX de legatis II, & XXVII ad S. C. Trebell. quib. redditu iri scriptum est. Sic de-

tensu iri, destitutu iri, debitu iri, datu iri multis digestorum locis, in quibus credendum non est librarios errasse. Sed plane ego errare me fateor, qui tam multis optimas istas occupationes tuas interpello. Ignosces igitur, & valebis, cumque eris otiosus mihi rescribes per Petrum Pontium nostrum, quem tibi etiam atque etiam commendo. Bononiæ VII Kalend. Nov. Vale.

LIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Accepi litteras tuas, quibus magnopere sum delectatus, tum quod Pontium nostrum accersas, tum etiam quod fidem fecisse cognoverim commendationem meam apud te, illustremque Ducem tuum. Equidem arbitror, ita rem cessuram, ut neque nobis tantum contendisse, neque vobis tam liberales fuisse unquam sit pænitendum. Ejus autem rei maxima pars in tuo consilio posita est, a quo ne digitum quidem Pontius discedet. De Ansuino nihil adhuc certi, tantum audio eum Patavii esse. De Pino, ut suspicaris, quod nollem factum. Est hic Faba quidam Bononiensis, qui præclarum sui specimen Neapoli superioribus annis dedit.

quo loci maxima frequentia atque mercede jus docuit civile; hic autem erit otiosus, quoniam non tanti conducitur. De his rebus, quas a te istis codicillis peto, rescribes cum libebit. Vale. VII Kal. Novemb. His scriptis, Joannes Metellus dixit certum esse Patavii qua scripseram conditione conductum Ansuinum, quo cras, summum perendie, Metellus ipse proficiscetur, qui te salutat, & Benedictus meus. Vale.

LX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Gratissimum mihi tuum munus fuit; & miror magis celeritatem, quam desideravi, in tantis occupationibus tuis, ut curiositati meæ satisfaceres. Sed utrumque tu, ut in omnibus excellis, consecutus es. Illud etiam libentissime legi, fuisse me publicæ studiosorum omnium utilitatis causam, dum ea abs te quæro, quæ multis cognoscenda esse arbitraris: quo ego mihi nomine gaudeo, tibi vero gratulor, quod juris scientiam luculentissimis scriptis tuis multo reddas illustriorem. Nam quod scribis de libris ad Catonem & Gallum tuis, quibus hoc erit militiarum corollarium additum, ita me exhilaravit, ut nihil aliud expectem, pene dicam cogitem.

Itaque ne te retardaret epistola mea, quam pro tuo erga me amore ante habere cupis, quam isthæc edantur, noctem unam (neque enim plus temporis potui) commentationi tuæ impendi. De qua quid dicam, quod licet vere prædicari possit, attamen non habeat si non assentationis, a qua alienissimus fui, at nimii amoris, quem semper in tuis rebus præ me tuli, suspicionem? Illud quidem certe, quod nostræ amicitiæ non vulgaris verbum est, probare me vehementer cogitata tua dicam, quæ de palatinis militiis, & annonis, quæ de cæteris collegiorum, aut sodalitiorum, artificumque, item illa quæ leviter de dicis causa, et tribu legata tetigisti, omnia denique mirum in modum, ut in re difficillima, placent. Agnoscis, ut opinor, quantum de veris laudibus detraham, ut ne ullum appareat fucatæ laudationis vestigium. Quid si quædam (non illa quidem multa, at neque nulla fortasse) librarii culpa, aut interpellantium te mihi displicere dicam? ero ne tibi minus aut carus, aut familiaris? non opinor, si bene utrumque nostrum novi. Quin eadem hæc ipsa excusatio mea est tibi molesta, nisi fallor, & te vel injuria reprehendi a me, quam prætermitti benevoli animi officium, a te præsertim postulatum, satius esse, ut opinor, existimas.

Illud igitur mutes velim, quod de Zasii ridiculo errore scribis; nam sit ille licet multis locis ridiculus;

non tamen decere arbitror jurisconsulti gravitatem, mortuum hominem, & qui jus civile non mediocriter & voce & calamo juvit, irridere. Andreas Alciatus vero, cujus scripta reprehendis, nomini parcis, ipse videris, an & sui nominis silentium non sit in bonam partem accepturus. Mihi quidem ei molesta esse videtur similis appellatio in Viglianis institutionibus. Sed hoc ut videbitur. Illud quod ex VIII capite de excusat. affers adversus opinionem meam, barbari interpretis errorem sequitur, atque adeo omnium scriptorum. Neque enim recte vertit militi *impuberi* curator dabitur, cum græce sit στρατιώτῃ ἀφήλικι κουράτωρ δοθήσεται, & *minori* dicendum erat, ut Cap. II qui petant tut. vertit. Idem error est Ca. X Si libertus impubes dabitur a patrono curator (vel ut melius alii habent, tutor) filiis suis, vel aliis quicumque minor XXV annis donec quidem impubes fuerit, nec molestabitur: interim autem alter in locum ejus creabitur curator. Sic enim Haloander edidit, alii non impubes, sed pubes minori errore, ut etiam idem post illa verba: *similis est huic,* inquit, *& legitimus tutor si puberem esse contigerit*. Qui loci quantum Accursianos torserint, ipse nosti. Sed & c. I sub eodem titulo erratum est, & ca. II qui petant tutores generaliter in principio acceptum ἀφήλιος verbum in Δ. Curatores speciatim, quod nescio, quam recte Accu-

sius interpretatur. Item Cap. II de excusat. in fine modo minores modo impuberes interpres ille vertit. Sed ut ad militum ætatem redeam, secutus ego sum, quod apud Plinium lib. VIII, & Suetonium, & Budæum legi, togæ puræ primum diem tyrocinium appellari, inde in causis & bellis tyrones non prætextatos fuisse, sed puberes, hoc est plena pubertate, ut ex cap. I de postulat. & Constit. VII sub eodem titulo, Cap. III de liberis exhib. XL. de adop. Paulo libro III sentent. Theophili lib. I institut. Bud. tit. de ædi. edi. & de jure fisci. Sed tamen verum est quod dicis, imperatorum voluntatem in ejusmodi rebus dominatam. Illud itaque tantum tollas censeo, quod impuberes nomina armatæ militiæ dedisse Modestini sententia probas. Satis ne est ineptiarum? satis impudentiæ? non existimo. Addam illud impudentissimum, & ineptissimum, velle me, uti criticis omnibus satisfaceres; & si totidem verbis illa edenda sunt, quot ad me misisti, erunt qui reprehendant, inepte quidem, sed reprehendant tamen.

Explevi cupiditatem meam obsequendi tibi, pudorem omnem & verecundiam prætergressus, sed in ea epistola, quam statim scindi velim, & apud eum hominem, qui non minus probitatis quam scientiæ pares habeat paucos, superiorem neminem. Illud nunc in mentem venit, quod scribis Constit. XV de erog. mil. an. mendosam esse verescribis, & id ver-

bum *adærari*, quod substituis, in nostri collegii bibliotheca in satis antiquo libro vidi. Illud etiam animadverteram, quod de Constit. VII de prox. sacr. scri. dicis non suos auctores habere in norica editione. Sed in ea re mancus est noster. Habes a me munus tuo multum dissimile, &, quæ mea est impudentia, excedere existimo me rei æstimatione; & ob eam rem peto abs te, ut id amore erga me tuo, quod excedit, penses. Sed ut aliud ex alio; an etiam nomen nostrum tuis commentariis consecrabis? cur, inquies, non faciam, quod Proculus, quod Scævola? utere tu quidem arbitratu tuo. Sed vide ne modum excedas diligendi mei. Quod si primam illam epistolæ meæ partem edideris(*a*), ut quæstio omnibus sit notior, non molestissime feram. Ad cætera postea. Vale. V Idus Decemb.

LXI.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S.

Acceptis litteris tuis, & quæstione, respondi impudenter fortasse, sed amanter, & perinvitus.

(*a*) Edidit quidem eam Taurellius.

Sed quoniam tunc in una solum parte mandatorum tuorum versatus sum, reliquas nunc absolvo. Nam cum de pisanorum gymnasiorum restitutione cognovissem Cosmis Ducis voluntatem, ad Alciatum meum scripsi, ut me certiorem faceret, quo tempore liberum ei esset hac de re agere. Qui ita rescripsit se biennio illic futurum, & si sine Herculis ducis molestia facere posset, annos permultos. Sed & litterarum ipsius exemplum ad te mitto (a). De Ansuino scripsi ad Metellum meum vel potius nostrum; cum rescribet, scies quid transigi possit. Bononiensium ad id munus accommodatiores mihi esse videntur Peregrinus Faba, & Joannes Boncompagnus. Sed illum docentem non vidi, tantum ex ejus discipulis audio præclare Neapoli scholas habuisse; est tamen non satis firma valetudine, & podagra crebro eum vexat. Alter firmis lateribus, & toto corporis statu, memoria tenaci, laboriosus vir, & non sine ingenio optime omnium suorum civium operam navat suam, habetque discipulorum gregem non mediocrem. Hunc existimo minoris docturum. Victorium tuum jube salvere: nolim eum non in eam partem, in qua oportuit, accipere quæ de Columella ad te scripsi. Nam et ejus res mirifice diligo, & quæ scripsi, ob id scripsi, ut si quid me lateret oc-

(a) Hæc est Alciati epistola ad extremum hujus libelli posita.

cultius, agnoscerem. Pontius noster quoties ad me litteras dat, dat autem crebro, mihi gratias agit, quod se tecum conjunxerim; beneficiaque tua narrat, quod est mihi gratissimum. Cura ut valeas, & nos, ut amas, ama. Ad Quartum Idus Januarias.

LXII.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Primum, ut debeo, ob tuum munus, atque perpetuum nostræ amicitiæ monumentum, illudque præclarum laudis tuæ testimonium gratias ago. Deinde tibi gratulor, mihique gaudeo, quod acceptam tibi fert Jurisprudentia bonam sui partem, quam tribus illis Galli, Catonis, militiarum monstris confectis recuperavit; majora tamen expectat, & se in suas sedes, atque nitorem a te restitui propediem sperat. Ego quidem vehementer sum exhilaratus, cum in tuis ac Pontii nostri litteris legi absolutas esse Pandectarum emendationes. Neque enim putabam te in maximis istis occupationibus tuis posse tam cito tantam rem conficere: sed quando vicit expectationem meam cura & diligentia tua, indicabo tibi quod te subrustico nescio quo pudore cælaveram. Nam cum

abs te discessi ingentibus illis laboribus brevi tempore, ut nosti, exantlatis, meo principio commodo, deinde amicorum, cum quibus nihil non mihi commune est, cæpi utilissima quæque eorum, quibus isti libri præstarent, in diversa capita separare: hæc cum aliquos delectarent, coactus sum in dies plura colligere quo ad in eam magnitudinem, quam vides, excreverunt. Horum partem ad Antonium Perenottum Nicolai Grandivellani filium, qui cum mihi nonulla consuetudo erat, misi; cætera ad Majum, Jurisconsultorum Hispaniæ citerioris principem, mittere cogitabam. Sed cum te audissem libros istos edere velle, nostris amicis visum est, ut mearum ineptiarum multa exempla conscriberentur. Quod ita dicerent, se cupere utriusque nostrum in eodem emendationum labore eodem tempore opus videre. Sed mihi id inscio te facere non esse nostræ amicitiæ videbatur; & non nihil existimabam ad omnium juris studiosorum utilitatem accessurum, si meos libellos a te emendatos aut cum tuis pandectis, aut eodem tempore acciperent. Itaque primum secundum & quartum *emendationum atque opinionum* nostrarum, ita enim inscripsi, libros ad te mitto, ut si res digna est, in qua elaboretur, omnibus non solum ineptis, obscuris, ineruditis, & inelegantibus sententiis, sed etiam inusitatis verbis, & scripturæ mendis expurgentur; omnia deni-

que quæ tibi non probabuntur, vel me inscio deleas, adscribas, substituasque quæ velis: nihil mihi gratius feceris. Per fortunas, mi Læli, hac in re te Lælium ostende; scis enim nomen istud tuum amicitia excellentis C. Lælii memoriam repræsentare, & me omnium vel minutissimarum rerum certiorem amicissime facito; & istos libros, quorum vereor ne vectura perierit cum oleo atque opera, si indignos esse, qui edantur, existimabis, aut si non cum tuis edi poterunt, remittes. Sed si his diligenter a te expolitis aliquid profici posse existimabis, nihil vereare quominus immutes quæ velis. Tertium emendationum libellum, item singularem ad Modestinum ante Kal. Martias mittam. Sum impudentissimus, scio, qui abs te optimis optimarum rerum occupationibus impedito ejusmodi res petam. Sed quid agas? ineptorum ineptias ferre oportet. Omisso joco, hæc ad te mitto, quod nonnihil ad cogitationes emendationesque tuas pertinere videbantur. Tu his utere ut voles, me semper tuis rebus amicissimum cognosces.

Joannes Mettellus noster ad te has perveteres litteras mittit, quas ego ante tres dies accepi cum his Haloandri emendationibus, & magistratuum, militiarumque indice, Scoti fortasse, & Ansuini litteris. De quo meliores nuntios accepi, quam a te scribatur. Pro certo enim habeo, quod de valetudine dicebatur

falsum esse. De scholis, in quibus magis bononiensibus quam patavinis placnisse dicitur, eam esse rationem suspicor, quod hic vicerit expectationem, quam non magnam conceperant de eo, qui aliis gentes docuerat; illic victus ab ea sit, quam bononiensium sermonibus & litteris habebant. Nam nihil de summa contentione & laboribus detraxisse signum est, quod id solum vitio dant, quod ita meditatus veniat, ut quasi decantata quædam dicere videatur. Eum ex Metelli litteris hunc annum Patavii futurum accepi; itaque in cæteris, atque adeo cum primis poteris hunc inter eos doctores numerare, quorum delectum habiturum illustrissimum ducem tuum scribis. Sed vale, neque enim mihi ipsi & aliis impedimento esse volo: tu me, ut facis, ama. Ad XVIII Kalend. Martii Bononia.

Illud oblitus fueram, quod te scire cupio, non probare me novum illud genus tuum referendi Jurisconsultorum & Cæsarum scripta. Dandum enim esse id vulgari consuetudini existimo, & efficiendum, ut quoad ejus fieri possit, prosimus quam plurimis. Itaque ego Alciatum meum imitor, Accursianisque margines illas scribo. Utrumque scio veteres nunquam fecisse, teque propius ad illos accedere; sed, ut dixi, obscurius esse videtur, quam ut omnes juvari possint.

LXIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Cupide expecto litteras tuas, ut videam, qua tu diligentia & amore ineptiarum nostrarum libros expurges: mitto autem nunc ad te quæ ad Modestinum scripsimus; de quo velim, ut quid tibi doctoque viro fratri tuo videatur, scribas. Tertium emendationum librum mittam quam primum. Desiderabis, opinor, pudorem meum, quod tibi his nugis molestus sim; sed hoc ipsum quoque expecto ut ejus molestiæ me certiorem facias. Carolus hic Lamonius Gallus Metelli nostri valde familiaris est, quem scio & studiis civilibus, & morum comitate multis præstare: te Metelli causa nihil non esse facturum confido, sed tamen cupio, ut commendatione mea cumulus aliquis accedat. Detulit is ad me Bartolini Pii qualescumque emendationes, quas ego cum de addictione scriberem, retuli ad eam rem pertinere. Et sane is adjiciendi, & addicendi differentiam recte tradit; adjectionis autem nulla apud eum mentio. Vide igitur, an sit ea in re quod immutandum sit, ego non opinor. Cum vero de auctoritate pandectarum a me agitur, addere poteris Saliceti testimonium in interpretatio-

ne primi capitis de rebus creditis, in quod casu incidi. Ait is non recte facere, qui ab illo uno omnium exemplo discedunt, nisi cum varietas non nocet. Cætera cum tuas litteras legero, in quibus, amabo te, diligentissime omnia persequere. Vale Pridie nonas martias.

LXIV

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S.

Lætus essem laudari a te laudatissimo viro, nisi cuperem magis reprehendi, et admoneri ab amicissimo. Itaque cum superiorem epistolam signassem, & tuæ mihi litteræ redditæ fuissent, quibus quantum ego nec postulare, nec agnoscere possum nostris libellis defers, id solum rescribendum esse, putavi, ut si me amas, minus laudis, plus emendationis, quam sentias, ad me perscribas. De secundo libro noli laborare, habes enim isthic, ejusque initium est: *Linguam Latinam*, quamquam procemium, quod ad te misi, addendum est; quod ex capitum numero deprehendere poteris. Editionem pandectarum malim Lugduni, aut in Germania fieri curares, quam in Italia. Scis enim quantum illi

librarii præstent: & arbitror cum Metello nostro, cujus diligentiam, & probitatem nosti, confisi posse, ut præsens scribendis libris sit; cogitat enim, ut ad me scripsit, domum ineunte æstate reverti, Tu tamen hæc melius: quod egeris deos probaturos spero. Quartum librum meum, cujus exemplum maxime mendosum, & mancum habeo, mihi describendum istic curato, & descriptum mittito, nisi cætera tibi remittenda videantur. Quod facies, si multos adhuc menses expectandos esse arbitreris ante pandectarum editionem inchoandam. Cura, ut valeas. Pridie nonas Martii.

LXIII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Acceptis litteris tuis perdocte & perhumane scriptis, quibus aliquot locorum trium emendationum librorum me amicissime admones, maximam scilicet, ut debueram, cepi voluptatem. Sed non explevi adhuc desiderium meum; nam & illa quæ promittis ad cæteros libros expecto, & de his ipsis plures notas. Vereor enim ne multa sint, quæ tu amicitiæ nostræ non vulgari condones. Ob hæc tamen

ipsa loca, & ob testimonia tua, quæ in nostris litteris, & in Metelli obsignasti (namque is me certiorem fecit ejus rei), maximas tibi, ut meritus es, ago gratias. Metellum autem ipsum rogavi per litteras, ut tibi in editione pandectarum inserviret; qui ita rescripsit, sibi quam gratissimum esse, ut aliqua in re benevolentiæ beneficiisque tuis satisfacere posset; se tamen ante Kalendas Octobris non iturum, eo autem tempore Romam isthac profecturum; cupit enim parietinas urbis videre; tum vero tecum, si tibi integrum erit, multos dies libentissime acturum. Ab urbe, in qua non multos dies consumet, proficiscetur in patriam, seque pollicetur Frobenianis librariis pandectarum scripturam commissurum, futurumque se præsentem, & maxima diligentia, quam, ut scis, omnibus in rebus adhibet, usurum. Ego quidem id vehementer cupio, cum publica de causa, neque enim arbitror a quoquam hoc beneficium Jurisprudentiæ ita præstari ut a vobis duobus, posse, tum etiam privata, quod mihi conjunctissimos velim ita esse omnibus cognitos, atque ab omnibus ob easdem causas coli, ob quas a me singulariter amantur. Gratissimum itaque mihi feceris, si quod commodo dignitatis tuæ facere possis, illud tempus expectaveris. Dicerem quo Metellus noster ingenio, moribus, probitate, & eruditione esset, nisi tibi hæc nota satis essent, fe-

dem quoque & amorem erga te, tuaque omnia nosti, rara omnia, & his temporibus singularia fortasse. His omnibus ut utaris scilicet, etiam atque etiam oro ac peto.

Poteris tu hoc temporis intervallo ad Constitutionum emendationem oculos adjicere, quam te cogitare Pontius noster mihi significavit. In qua re si nostra cum Theodosiano codice comparatione, aut qua alia in re mea opera uti velis, scribito. Eodem tempore juris pontificii emendationes, in quibus nunc totus sum, nisi me Cæsar interpellaverit, habebis. Est enim in manibus ingens Decretorum Pontificum, & Conciliorum volumen, quod cum vulgaribus nostris Gratiani, & Gregorii confero; neque perit opera. Nostros libellos Venetiis malo, quam Romæ edi, aderit enim scribendis noster Metellus; itaque nisi tibi molestum est, istis librariis tradere poteris, & cum his de editione transigere arbitratu tuo. Sumptus autem si qui in ea re fient, quamquam scio te eos libenter facturum, ut Pontio nostro es pollicitus, curabitur tamen a me Venetiis, ut quantum significaveris præstetur. Sed vide, amabo te, num res digna sit, quæ a multis legatur; num cujusquam animum offendamus; num tibi utilius sit, non ante Digestorum editionem edi; & me omnium rerum cogitationumque tuarum certiorem facito.

Ansovinus expectat, ut meliori conditione a vobis evocetur, quam illic utitur; eam tamen se petiturum negat. Quantum itaque offerri possit, significate. Lamonium Gallum te non vidisse arbitror, commendatitias enim litteras ejus dedi hispano cuidam. Ille vero, qui te de Roberto allocutus est, Arnoldus Arlenius dicitur: an Cimber, an Belga nescio; Cæsarianus quidem certe, & probus, & utriusque linguæ valde peritus est; ejus opera utitur Venetiis Jacobus Mendoza Legatus Cæsaris in describendis quam plurimis græcis libris. Et quoniam horum librorum feci mentionem, valde cupio per te ingentes istos græcorum librorum thesauros reserari. Qua de re poteris cum Arlenio, aut Metello colloqui. Conciliorum præsertim, & Jurisconsultorum libros omnes videre pervelim. Pertineret hoc ad illustrem pisanorum gymnasiorum renovationem, in quibus (nam hoc etiam παρεργως dicendum est) velim, ut optimo viro duci tuo persuadeas, ut unum, atque alterum Jurisconsultum accersat, qui verba jurisconsultorum, non etiam ingentes interpretum nugas interpretetur, & jus civile, quod Justinianus fieri jussit, perpetua singulorum capitum brevi interpretatione, intra unum, atque alterum annum maxima ex parte discipulis tradat. Sed quid ago? nimis te otiosum esse oportet, si totam hanc epistolam legeris. Usus autem hoc familiari littera-

rum genere sum, ut te a me singulariter amari cognosceres. Vale igitur. XVI Kalend. Maii.

LXVI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. D.

Tu vero, Læli, ut soles, omni beneficiorum genere facis, ut locus fere non sit habendæ gratiæ, nedum referendæ. Quid enim epistola tua abs te occupatissimo scripta dici potest aut amantius, aut diligentius? Persequeris enim omnia ea exornandi nostri cupiditate, ea mandatorum nostrorum memoria, ut si te antea dilexissem, nunc plane amarem; sed cum antea multis de causis & amarem & colerem; nunc medius fidius quo nomine id quod accessit appellem, non habeo. Illud solum desideravi, ut fidem sinerent te liberare tuam optimi isti interpellatores, qui te consulunt. Ab Jacobo etiam fratre, quæ polliceris, avide expecto; ea si nimis sero ad me deferentur, verebor ne tam multa sint, ut tantum emendandi laborem ferre nequeatis. Sed novi diligentiam tuam; atque opinor, te cum has litteras leges, lucubrationem aliquam ad me esse missurum, cum libellis omnibus, quos cupio relegere iterum antequam edantur; ita fiet; ut Junctæ librarii

per istos certiores fiant, me, aut Joannem Metellum eos libros ipsis daturum; rogandi autem sunt, ut quanta maxima poterunt diligentia conscribant. Hoc mihi præmii loco erit: item de exemplis aliquot, ut amicis, quod scribis, donentur, valde probo. Quod si Junctæ hoc tempore aliis libris impediantur, Gabriel Jolitus, ut Metellus noster pollicetur, Venetiis conscribet. Tu me tuæ sententiæ quamprimum facito certorem. Nam valde metuo Cæsariana jussa, quæ me ab his rebus, & locis divellant.

De Priscianensi librario viris studiosis omnibus gratulor; nam & pandectarum scribendarum diligentia, & jurisconsultorum græcorum munus maximam lucem horum temporum tenebris afferrent. Sed male narras de nostris constitutionibus, magna enim spe decidi. Ego vero ut jus pontificium exornem, novitate rei ductus sum, non elegantia, aut illa nostrorum Consultorum prudentia, quæ miros nobis amores excitat civilibus libris legendis. Sed tamen delector veterum Pontificum, eorumque conventuum decretis; a quibus christianorum hominum Respublica optime constituitur; litigiosis vero his recentibus Decretis, quæ in ore omnium habentur, non multum deferendum esse arbitror. Itaque in illis sum totus. De Ansovino non belle suspicaris, qui suis, nisi fallor, moribus non minus vobis satis-

faciet, quam non mediocri eruditione. Exemplum quarti libri recte exscriptum accepi, quod mihi jucundum fuit; displicuerunt tamen in eo multa, quæ ego non satis polite congessi; de quibus, & illis alteris ad Modestinum fac me quamprimum certiorem. Da operam, ut valeas. Tertio nonas Majas Bononia.

LXVII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S.

Ad tertium Nonar. Maii rescripsi litteris tuis satis accurate. Nunc expecto quidem abs te multa; sed nihil magis, quam ut me de valetudine tua certiorem facias. Pontius enim noster tentatum te his diebus fuisse scripsit; cui rei medere per fortunas, & quam in cæteris rebus adhibes diligentiam singularem, hanc in valetudine conservanda adhibeto, sine qua cætera pereunt. Illud in secundis curato, ut Petrus Carmona, qui ad te hanc epistolam deferet, qui neminem hic reliquit juris disputationum cognitione hispanum hominem superiorem, ita a te accipiatur, ut meum Pontiique nostri familiarissimum esse se nunquam pæniteat. Cura ut valeas. XV. Calend. Junii.

LXVIII

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO

Nugarum nostrarum libros accepi cum amantissimis litteris tuis, & Iacobi fratris notis, in quo amando non minus me vereberis æmulum, quam is me in amore tuo esse moleste fert. De Ansovino nihil accepi; quem propediem, ut arbitror, videbo. Excurrere enim cogito Venetias; Patavium fortasse. Sed hac de re, & de cæteris pluribus cum tuas admonitiones legero, quas ante horas duas accepi. Interea vale, & doctissimum virum fratrem tuum salvere jube. Ad XIII. Kal. Iuniar. Bononia.

LXIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S. P. D.

Nobilem adolescentem & ingeniosum Camillum generum tuum conveni Patavii quinto Kalendas Iunias; cum autem nostro Metello fui duos dies, qui me Venetias prosecutus est; is te, ut debet, & ut solet amat. Cum Ansovino quoque Medice collocu-

tus sum satis familiariter. Hic mihi multa de mercede a te oblata dixit; quorum verborum hæc summa est: parem non esse eam conditionem ei, quam a Venetis se impetraturum sperat: eo accedere minus celebrem istum scholarum locum, & cætera ejusmodi, quæ ad te superioribus diebus scripsisse se ait. De ea quoque re se expurgavit, quam tu quibusdam litteris significaveras: nam & rescribendi tarditatem, & responsorum ad te sine ejus litteris delatorum morositatem, quam ipse tibi non satis gratam fuisse suspicatur, his, qui internuntii harum rerum fuerunt, accepto ferendam esse affirmat. Idem Metello nostro videbatur, & quamvis uterque te hac de re esse celandum existimaverit, utar tamen libertate mea, quam te in bonam partem accepturum spero. Camillus tuus, qui tibi multis de causis jure carus est, necessaria quadam conjunctione Coradino Ansovini adversario adhærescit, atque is acriter eas partes tuetur, vel potius tuebatur; nam litteræ tuæ movisse nonnihil hominem dicuntur. Sed ante tuarum litterarum frequentiam ducere visus est id negotium lentius, & Ansovini colloquium, cui erat ob necessarias illas causas infensus, vehementer fugere. Hinc cætera poteris suspicari. De Ansovino vero ita existima, ut probitatem ejus, & erga te amorem non minorem esse opineris, quam eruditionem; quem

ita dimisi, ut dicerem me existimare rem integram non esse novis conditionibus. Sed nimis multa hac de re, quæ a me nescio quam prudenter dicta sint.

Ad nostrarum nugarum editionem venio. Thomam Iunctam appellaveram heri, qui se litteras a Bernardo fratre, ut ad me scripseras, habere dixit, & accidit percommode, ut eo tempore libellos nostros detulerim, quo eorum scripturæ initium fieri potuerit. Dii faxint, ut cætera omnia ex sententia succedant. Ioannem Lunam, & Petrum Pontium nostros jube salvere. Vale. Postridie Kalen. Iunii Venetiis.

LXX.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S.

Scripseram ad te postridie Kalendarum de Ansovini sermonibus, & de nostrorum librorum editione: post eas litteras id tantum novi, constituisse me hic expectare, dum omnes libri conscribantur. Nam Metellum nostrum urget dolor nescio quis acerbe satis, quem spero sedari quamprimum posse, & in pristinam valetudinem restitui. Emendandis quoque græcis Iustiniani legibus operam do, & va.

riis nostræ scientiæ libris legendis; itemque in Pontificnm decretis græcis, aut singulorum, aut in concilio collectorum ponere operæ nonnihil cogito: otium enim, & librorum copia juvare videntnr nostram curiositatem; calor tamen molestia deterrere. Habes nostræ peregrinationis rationem: cognosce cætera. Dum nostros libros diligenter scribendos curarem, ventnm est ad capitis primi sub titulo de in rem verso emendationem, ejus verba hæc esse Florentiæ existimabam. *Si hi, qui in potestate aliena sunt, nihil in peculio habent; vel habeant, non in solidum tamen; tenentur qui eos habent in potestate, si in rem eorum quod acceptum est, conversum sit*. In eo tamen libro, quem ad te misi, additum esse negans verbum vidi minutulis quibusdam litteris, & ita scriptum adversus omnium librorum scripturam *si in rem eorum, quod acceptum est, conversum non sit*. Aveo scire, idne existimes in optimis istis libris esse; fieri enim potest, ut me ejus emendationis (quod tamen non arbitror) certiorem facere oblivisceceris. Aliis autem ego conjecturis ducor, ut id Bononiæ potius aut Venetiis factum sit. Tu me hac solicitudine quamprimum, si me amas, libera; & litteras ipsas, quas ad me dabis, ad Iacobi Mendozæ legati Cæsaris domnm, apud quem habito, perferendas esse adscribes. Metellus noster tibi plurimnm salutis di-

cit, tu dices & Joanni Lunæ, & Pontio nostris. Vale. XVI. Kalend. Quintiles Venetiis.

His scriptis, Metellus noster vacat dolore, & omni molestia, & ego Mantuam excurro, mox rediturus.

LXXI.

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S.

Nihil habeo, quod epistolæ tuæ rescribam, nisi, quod vel me tacente scire potes, fuisse mihi, ut sunt omnia tua, jucundissimam. Tantam dicam me tibi ob istam nostrorum libellorum expectationem & illius Capitis videndi diligentiam, longamque Ansovinianarum rerum explicationem, multum debere. Libellos autem nostros Arlenio meo commisi, viro et probitate morum, et eruditione non vulgari. Nam Metellum affectum reliqui, et eum adhuc morbo non esse liberatum audio. Ego vero Cremonam veni a necessariis quibusdam meis evocatus, ut pontificium quoddam negotium conficerem (a). Itaque illinc pontificem maximum sum secutus, qui

(a) Scilicet de fratris sui Petri Episcopatu Elnensi.

nos hodie hic re infecta reliquit. Revertar igitur Venetias quamprimum, ut illis libellis absolutis Romam isthac eam: quod libentissime facturus sum. Interea commendo tibi Michaelem Losillam, qui ad te has litteras detulit, ut hominem mihi valde carum, tuis rebus amicum, & in studiis nostris civilibus non mediocriter progressum. Feceris enim mihi gratissimum, si is magnum pondus nostras litteras habuisse cognoscet. Vale. V Idus quintiles Bononia.

LXXII.

ANTONIUS AUGUSTINUS
LÆLIO TAURELLO S.

Habes, mi Læli, quod tantopere desiderabas, nostrorum librorum exemplum non nimis ineleganter scriptum, mendosum tamen. Nam & eo tempore, quo necessarias ob causas abfui, & dum præsens fui, hallucinati librarii nonnunquam sunt. Vix tamen credas, quanta, & quam multa sint molestiarum genera in hujus generis provincia devoranda. Quod nisi me varia librorum lectione apud Jacobum Mendozam meum recreassem, itemque Justiniani Novellis Constitutionibus, & pontificiis regulis græcis cum vulgaribus

conferendis, aut præfecturam hanc demisissem; aut multo negligentius ea functus essem. Sed quando nos diis juvantibus salvi in portum pervenimus, tuæ nunc sunt partes, ut expectationem tuarum mercium excitatam non frusteris; quamprimumque isthinc solvas oportet, ne mendaces nulla de causa esse existimemur. Qua in re Thomas hic Juncta noster pollicetur Germani cujusdam operam, cujus litteris nos usi sumus. Hac de re poteris aut isthic cum Bernardo Juncta colloqui, aut curare, ut is qui Cosmi Ducis negotia hic curat, cum Thoma colloquatur. Sed fortasse integrum non est, quod vehementer cupio cognoscere.

Metellus noster Patavii debilitatam valetudinem curat. Ansovinus me hic convenit, & nescio quid de pisanis gymnasiis est locutus, cupidus, ut videbatur, alicujus illic loci. Ego vero ei rem non esse integram videri respondi. Erit Patavii, ut optaverat, primus; nam Alexandrinum Antonium acerbissimo morbo teneri ajunt. Bononiensibus quibusdam litteris meis tibi, ut existimo, scripsi, me fortasse isthac Romam profecturum: idipsum modo neque satis constitutum est, neque omnino rejectum. Bononiam tamen ante Kalendas revertar. Interea vale, & valere Jacobum fratrem optimum virum atque doctissimum jubebis. Postridie Iduum Sept. Venetiis.

LXXIII

ANTONIUS AUGUSTINUS LÆLIO TAURELLO S.

Cum Bononiam tertio Idus venissem, redditæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quas ego vehementer desiderabam: eram enim et de munusculo meo solicitus, & te tamdiu silere non in optimam partem accipiebam. Itaque mirum in modum litteris tuis sum lætatus. Illud solum molestum fuit quod de retardanda pandectarum editione scribis. Nam quod ad expectationem nostris libellis concitandam attinet, minime necessarium est; quippe cum per se ipsa res majorem expectationem fecerit, quam ut alicujus scriptis concitari possit. Te vero jam tertio in eadem comparatione versari, ut nihil non omnium oculis repræsentare possis, vehementer sum admiratus. Laudo autem maxime præclaram istam diligentiam tuam; sed quod ad similem scripturam pertinet, vide ne ista res omnium librariorum studia frangat. Multorum enim sumptuum, maximorum artificum, summi laboris, & nescio quam necessarii, minime quidem certe vendibilis est, & quod facile spes nostras frustrari possit. Id vero ut obscuris dubiisque locis, & mancis fiat censeo. Abs te autem lectores admoneantur quibus litteris, quo-

que modo scriptus totus ille liber sit: addita omnia, & immutata iisdem obelorum, & diplarum, & liturarum notis, si videatur, exprimenda sunt. Manca vero loca, quæ sine. m littera, sive cordis figura notata sunt; item alia quæ tu facile deprehendes, similibus notis ut scribantur, perplacet. Horum autem locorum, & aliorum interpretationes cum eisdem libris conjunges. Scis enim te jamdiu hoc munus jurisprudentiæ debere. Hæc nos currenti, ut ajunt.

Quod de nostris venetis rebus auguraris, id ejusmodi est. In Bessarionis bibliotheca repertus est a nobis Novellarum græcarum liber multo Norico locupletior, quod a me libro II emendationum scriptum est, cum de nauticis usuris ageretur. Ex eo libro XL fere græcas Constitutiones descripsimus, partim versas barbare, partim ab omnibus desideratas: in quibus Zenonis Constitutio de novis operibus, & prospectu maris, quæ in Constitutionum codice sub titulo de ædificiis privatis deest. Item edicta omnia Justiniani, Novellæ aliquot Justini Minoris, & Tib. Constantini; quarum aliquæ pro Justiniani legibus circumferuntur. His in indice ejus libri adjecta esse dicebantur Præfectorum Edicta, quæ in eo libro desiderabantur. Hæc memini me in Marciano libro isthic vidisse post cætera, quæ edidit Haloander.

Ea tu si mihi describenda curaveris, gratissimum feceris. Quod si fit, cura etiam, ut quæ describentur cum eodem ipso libro conferantur. Id enim Haloandro nocuisse ex ea comparatione, quam cum veneto libro fecimus, scimus. Omnia enim illa loca, quæ is aut stellulis, aut minutis litteris notavit, exscripsimus, item alia permulta correximus. Inventus etiam a nobis est vetus ille Novellarum liber latinus, quem Julianum Patritium scripsisse Alciatus noster auctor est, apud doctum virum Ottonellum Venetiis, quem nunc describendum curamus. Is nisi mendosus maxime esset, non mediocriter Jus civile juvaret. Est enim earum legum epitome non inelegans, cujus si cupis, exemplum ad te mittam. Quamquam ut is liber cum cæteris quæ Haloandro desunt, & nostra interpretatione, multis exemplis scribatur curabo. Quod ad Jus pontificium attinet, multa ex Conciliis veteribus græcis atque latinis collegimus, item ex Maximorum Pontificum decretis, quæ nonnihil lucis illis libris afferre possunt. Quamquam non tam illa quidem lucem desiderant, quam religionis severitatem, quod in mea manu non est, & ornamenta dictionis, quæ nos primi, si quid in ea re possumus, addemus.

Metellus noster Ferrariam, cum ego Venetiis discessi, cogitabat, male autem actum est cum optimo adolescente, ut sex amplius menses cum morbo

contendat, & a libris suis distrahatur. Ejus tu nomen cupio litteris illustres, si quando nostri communis laboris facies mentionem. Quod ei honori, mihi voluptati in primis erit. Nam ut nostris rebus faveas, admonendus non es, sed ut eas mediocri quodam, & verisimili laudum genere (si modo dignæ alicujus sunt) commendes. Hanc epistolæ meæ partem ne alicui legendam committas, tua cautio erit. Sed vale. Nihil enim aliud est, quod scribam; nisi quod nunc venit in mentem, habere me Constitutionum codicem ante CCCC annos scriptum, mancum tamen, illi Marciano persimilem, quo te usum scio. Item ut de Pontio nostro ad me scribas, qua conditione a vobis deinceps retineatur. Bononiæ XIII Kalend. Novemb.

LXXIV.

ANTONIUS AUGUSTINUS

LÆLIO TAURELLO S. D.

Diutius tibi deberi non potest, qod pene convicio a me flagitas munusculi, ut græcas ad te constitutiones, quas isthinc Joannem Metellum tuum ad me attulisse scripseram, in latinum sermonem conversas mitterem, cum eo corollario, quod post-

ea sum pollicitus. Habes jam quod expetisti. Nec illas solum ipsas accipies, quas ille in vestra Medicea bibliotheca inter pontificii juris græcos libros invenit, sed & alias, quas hic in Vaticana, & in aliis bibliothecis, animadvertimus in Justiniani codice Constitutionum desiderari.

Sed ut venatoribus, qui aliquot insignes feras cepernnt, voluptati maximæ est narrare, neque prædam spectantibus injucundum audire, quibus indiciis atque vestigiis in eos saltus aut silvas pervenerint; quæ fuerit canum, aut sociorum sollicitudo; quæ postea dum singulæ aut excitantur, aut agitantur, aut capiuntur, acciderint; ita mihi faciendum esse putavi, ut quo pacto hanc nostram minoris fortasse voluptatis, non minoris tamen sudoris ac pulveris venationem peregerim, conscribam. Nam cum ante aliquot annos in eos Institutionum, ac Novellarum locos incidissem, quibus harum legum mentio fieret; cumque in his ipsis XII libris constitutionum, & ex titulorum pollicitationibus, & ex adscriptis notis initio aliquarum legum, quæ græcam aliquam deesse significarent, multa esse mutila, & manca vidissem; male nobiscum esse actum putabam, si eas aut consulto prætermissas Justiniani jussu, quod nonnulli docti viri crediderunt, aut aliquo fato amissas, aut alicujus invidia celatas esse existimassem. Sed & cum animadver-

tissem ad calcem libri tertii conversam barbare constitutionem extare, qua de aleæ lusu agitur, mirabar quid esset, quod & illa, & Novellarum liber, & ea capita, quæ in Digestis græce scripta sunt, a Berguntione pisano, ut Odofredus scribit, non a Bulgaro, ut vulgo creditur, latina, ut illis temporibus licuit, facta, tam cito periissent. Ecce autem & Digestorum loci permulti, & græcarum Novellarum liber Haloandri, & aliorum ope restituti pristino splendori sunt. Sed & ab eodem Haloandro in multis Constitutionum titulis diligenter est significatum, quo in loco græca lex desideraretur. His stimulis concitatus cæpi omni nostra & amicorum diligentia in græcorum librorum bibliothecis perquirere, an ne alicubi laterent inter juris civilis græcos interpretes, quos permultos fuisse acceperam, quas investigabamus vagas illas feras. Et initio, ut illam Justiniani de veteri jure enucleando omittam, quam apud te ex vestris illis pandectis descripseram (eaque græce, & latine, ut illinc accepi, cum notis nostris earum rerum, in quibus inter se diversæ sint interpretationes, suo loco posita est), reperta a nobis Venetiis est pulcherima Zenonis Constitutio de ædificiis privatis in Bessarionis locupletissima bibliotheca, in eo libro in quo Justiniani, Justini minoris, & Leonis, ut vocant, Sapientis, omnes Novellæ leges continentur. Ejusdem

Constitutionis exemplum non satis integrum postea a nostro Metello isthic repertum est, & quod longe præstitit, viginti fere Constitutiones de rebus sacris conscriptæ. Quibus nos alias adjecimus tum ex tertia Synodo Ephesina, tum etiam ex aliis duabus græcarum legum collectionibus. Ex quibus Epitomis quoque, ac Paratitlis adjuti sumus, quod in his vestigia, atque sententias aliarum permultarum inveniremus. Hæ autem collectiones, de quibus agimus, e quibus plus compendii factum est, cum Theodori Balsamonis, aut Joannis Zonaræ canonum interpretationibus conjungi solent, aut cum Photii Patriarchæ XIV titulis, quibus etiam nonnihil debemus, in ludorum præsertim interpretatione, de qua, ut alias tecum familiariter jocabar, cornicum oculos me confixisse scripseram. Uno itaque volumine omnes leges comprehensæ sunt, quas Justinianus libro primo Codicis, & libro primo Novellarum (est enim is quoque liber in certos quosdam libros ac titulos divisus) de rebus sacris tractantes collocarat. Hæ tamen, quas græco sermone lib. VII Codicis Justinianus constituit, integræ extant magna ex parte: latinarum vero, & ipsarum græcarum, quæ XIII titulis continentur, in epitomem redacta sententia est, additis singulorum titulorum, ut vocant, Paratitlis, in quibus similes loci ex aliis Juris civilis partibus referuntur. Debetur quidem certe huic

quisquis fuit, neque enim nomen adscripsit, non parum, quod ejus opera factum est, ne in optimis rebus positæ veterum principum operæ perierint. Nam licet pie ac sancte receptum esse videatur, ut in his rebus, quæ ad religionem constituendam pertinent, pontificum, non regum sententiæ perquirantur, negari tamen non potest, quin moderandis omnibus Reipublicæ partibus, seditiosis ac perniciosis civibus compescendis, ipsius denique religionis majestati tuendæ ac conservandæ principum virorum auxilium necessarium sit. Sed ut illo revertar, unde sum digressus, his omnibus locis, quos dixi, in unum locum conjunctis, nostrum fuit onus tum eadem cum latinis libris conferre, tum veteribus vestigiis, indiciisque conjungere, tum ipsarum legum ordinem perscrutari, tum denique quam petieras, facere interpretationem. In quibus omnibus sæpius fortasse me & propter rerum ipsarum obscuritatem, ac novitatem, & propter nostras valde ab his rebus alienas litium occupationes, labentem, ac conniventem agnosces. Sed est in eo tua aliqua culpa, qui me in præcipitem locum adduxeris: mea solum quod nihil tibi negare, aut sciam, aut possim. Quamquam, ut jocari desinamus, ego omnia præstare debeo, qui sciens prudensque me in periculum conjecerim. Vale. Kal. Februarii MDXLVI.

LXXV.

IO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO
S. P. D.

Pridie nonas Quintiles vesperi litteras tuas Martinus reddidit, plenissimas tui in me amoris, & benevolentiæ, tanta vero elegantia, lepore, salibus perscriptas, ut iis respondere me posse animum plane despondeam. Sed quoniam litteras te vehementer meas desiderare significasti, potius volui valde parum elegantes litteras mittere, quam omnino nullas. Piaculum enim omnino existimavi, etiam minima in re, officium meum desiderari a te qui præsertim auctor tibi fui, ut me primum suavissima tua epistola lacesseres, atque provocares. De rebus urbanis igitur ad te scribam; sed parcius hoc tempore. Arbitror enim te earum habere domesticos scriptores Collegas tuos. Adde quod nihil dignum scriptione post discessum tuum accidit: nisi tibi fortasse novum videatur, modica frumentatione annonam multo quam oporteat cariorem reddi, eoque nomine plurimorum querelas audiri excitarique, e quorum multis unum referam. Contigit quarto ab hinc die, ut nescio quis rusticus dum in urbem venisset, videretque tantam inopiam, cum forte numerosam familiam haberet, in furorem ex-

templo conversus sit. Cum ergo misere mentis morbo laborans ille in via, quæ ab Asinorum turre Romam ducit, Germano militi obviam factus esset, correptum mirabili quamdam vi, & pernicitate, & continuo cursu, in officinam quamdam non procul a foro atque palatio dissitam detulit, & maximis, nequeunte sibi ipsi opem ferre milite, verberibus affecit, auxilium præstantes multos cædit, sicque tandem male acceptum dimisit, & nemine vidente fugit. Erat autem Germanus e præsidio palatii unus, vasto admodum corpore, neque minus procero, quam is quem tute mihi ante paucos dies depingebas. Sed certe ridiculum quiddam evenit. Nam cum de hominis salute medici desperarent, exhausto multo vino, nulla nedicorum cura se se Germanus cepit colligere, nuncque ea medicina valetudinem confirmavit.

De Andrea Alciato multorum sermone circum varia feruntur(a). Hominem salutationis causa nudius quartus conveni, cumque num hoc anno nobis doctor futurus esset, ex eo peterem, respondit se litteras accepisse, quibus a S. P. Q. Mediolanensi Ticinum vocaretur, easque XL viris bononiensibus legendas proposuisse, ut si eum in urbe retine-

(a) En iterum Alciatum de Ticino, & Mediolano cogitantem.

re vellent, curarent sane ut mediolanenses intelligerent eum vacase culpa, quominus patriæ, cui deberi primas divinus ille Plato monumentis tradit suis, hoc maxime tempore minime satisfaceret; constituisse tamen affirmabat, se Bononiæ totum hunc annum in officio fore, nisi bononienses ei missionem, quod tamen ut crederet adduci non poterat, darent; Is nunc interpretatur Papiniani caput XXXIX. ejus articuli, qui de vulgari & pupillari substitutione, quo respondit Jurisconsultus substitutum substituti cohæredis, qui decessisset priusquam hæreditatem adiret, aut conditio substitutionis existeret, in utramque portionem admitti, suoqne more docet, certis limitibus doctorum scripta concludens. Ego maximis istis caloribus ei operam do, & Romulo Amasæo, præterea nemini. Domi in umbra memet quam possum diligenter exerceo ad imitationem nostri Ciceronis. Græcis etiam litteris vaco, nempe Isocratis orationem ad Demonicum lego: a cœna deambulo, quodque reliqui est temporis, libens tribuo relegendis iis & annotandis, quæ interdiu lecta mihi digna memoria videbantur.

De Dialogo tuo quod scribis, certe me mirum in modum inflammas in amorem tui. Utinam autem brevi eum absolvas. Cupio enim vehementer, totum illum dialogum haurire, & quodam modo devorare. Quod addis vero te me auctore tum colloquentes

personas, tum inscriptionem ipsam etiam commutaturum, intelligo quantum meo in te amori deferas: quare persæpe tibi gratulabor, mihi gaudebo. Sed tamen dici non potest, quantopere aveo, ut ad me statim mitti cures, non ut judicium de tua dictione, quam quilibet eruditus admirari debet, interponam meum, quemadmodum ais, sed ut hominis amici & docti sermone aliquid discam, adque eadem studia ejus incensus exemplo, stilum componam, excolam, erudiam, confirmem. Vale, & amabo te, rescribe quamprimum .. Ad VIII. Idus Quintilis Bononia.

LXXVI.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO S.

Etsi persæpe nota mihi fuit humanitas tua plurimis in rebus, gratior tamen nusquam fuit, quam ex postremis litteris tuis, quæ me sane, hominem rudem adhuc, ad eloquentiam vehementer accendunt, tum etiam ad te mirifice amandum impellunt. Ego igitur valde amo diligentiam tuam, teque etiam atque etiam rogo, velis multum ac sæpe iisdem de studiis per litteras mecum agere, quæ multo labore, conquistioneque mihi videre con-

sequutus. Arbitror enim eo modo, stilum nostrum confirmatum iri. Sed tamen quod scribis de Tullianorum verborum indice (a) (libenter enim ut tu loquor), quamquam pro tua singulari prope eruditione atque doctrina, & pro tuo acri excellentique ingenio minime refragari debeam, tamen vix est, ut hoc tempore tecnm sentire possim. Qnare quid me moveat cognosce Primum enim (quod affirmas) ipsis indicibns quærendi ea, quæ dubitamus, tædium nonnumquam nobis adimi, equidem non inficiabor; sed hærabo mehercule adhuc, donec idipsum ipse ex ipsis ciceronianis fontibus hausero. At, dices, nos ad Ciceronem allegat; alleget sane. Quia enim ex uno decerpto versu tum dictionum, tum dicendi formularum usus plene haud cognosci potest, tota sermonis series, habitus, & rerum ipsarum pertractatio, de integro legenda perscrutandaque sunt. Qui enim verborum vis, usus, proprietas intelligetur, si res qnæ verbis ipsis repræsentantur non cognoverimus? Illis indicibus antem verba Ciceronis nulla subjecta interpretatione nudeque tantum proposita leguntur. Præterea mihi plane perniciosi videntur hujusmodi indices adolescentibus Ciceroni non admodum assuetis. Dum enim quicquam latine reddere student, fit, ut inde sibi aliquot congerant vo-

(a) De hoc Augustini opere nusquam alibi verbum fieri video.

ces, quibus tamen non percepto germano sensu utuntur sæpe, atque ideo a lectione ciceroniana abstinent; cui, si indice carerent, operam omnino darent; ac etiam diligentius voces omnes & conjunctorum verborum usum annotarent. Festinantibus profecto aliqua ex parte commodare possunt, sed studiosis potius adhortatione ad fontes ipsos est opus. Namque cum brevis sit hominis vita, nos summa certe ope ac vi niti oportet, ut cum primum possumus, totum ipsum Ciceronem perdiligenter legamus, devoremus, ac in nobis ipsis formemus, quod quidem indici confisus tantò labore sibi consequendum minime putet. Ego igitur potius solum Ciceronem legam; ex quo majus emolumentum me assecuturum spero. Eo enim pacto & stilum corrigam, & μεθοδον (quam græci appellant) rerum, & nervos, & sanguinem, & sales, nedum verborum ipsorum copiam, vim, atque proprietatem comparabo, qua tamen de re coram fortasse pluribus. Nunc hæc tantum, litteras ut eliciam tuas. In adscribenda die prioribus litteris me meus memoriæ sensus plane fefellit. Rusticarer tecum libenter. Quid enim libentius faciam? Sed me retinet Alciatus, qui nondum docendi munus suum absolvit; quam ob rem, ut ex litteris tuis deprehendo, ante ferias venire non possum. Vale. III Id. Quintil. ex urbe Bononia noctu.


LXXVII.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO S. P. D.

Quod serius ad te scribo, quam desiderare velle videare, non negligentia feci, sed justo dolore, atque rerum mearum perturbatione commotus. Etenim cum primum Ferrariam appuli, mihi nuntiatum est Claudinm fratrem e vita decessisse. Eum vero non modo diligebam, sed propter aperta quædam signa judicii, & ingenii vehementer amabam. Etsi igitur non ignoro, acquiescere nos debere divinæ voluntati, ita tamen me movit ejus recordatio, ut animum vix recte ad scribendum confirmare potuerim. Nunc certe quod unum restat, hunc ipsum dolorem, & multum, amicorum memoria levo, ac lenio; tui autem tanto certius, quantum tu cæteris & fide & integritate præstas. Andream Alciatum nostrum paulo minore frequentia, quam Bononiæ docere, elegantia eadem, applausu, quanto alius unquam, te, ut arbitror, haud latet. Ejus gymnasium valde mehercule ornat Ludovicus Cattus, vir plane in Jure Civili, judicii singularis (a).

(a) Catonem eum appellat Lilius Gregorius Giraldus, eumque cum Alciato, Augustino, Taurellio, aliisque his similibus comparat.

Quod ad nos attinet, si ei gratum facerem, recepi, me Lælii Taurelli nostri diligentia, inscriptiones Capitum de verborum obligationibus fideliter curaturum. Sed per Deos immortales, quid non tribuit antiquo suo exemplari? quæ cupiat, aut oporteat, ea omnia ex hoc jamdiu comparata, ait: si quid ipse præterea, Lælium minime defuturum. Quam ob rem reliqua, quæ quidem te non fugiant, eum celavi. De legato Caroli Cæsaris sic habeto: te absente nihil omnino bene, te præsente omnia, ut spero, confici posse. Apud hunc esse audio duos tantummodo græcos interpretes Juris, quorum neutrum mihi licuit inspicere. Alterius haud dissimile exemplar Antonii Eparchi(a), hominis græci, cum inscriptione compendii sexaginta librorum, nullo auctore adscripto, vidi illic, ordine literarum, summa rerum genera constituta. Cernere est deinde: qæcumque dicuntur, ex quopiam eorumdem librorum loco, ita propemodum allata sunt



Porro Commentarium ad Legem Rhodiam ejus generis legatus habet. Reliqnorum qui latent in Marciana bibliotheca indicem ad te mitto. De No-

(a) Antonius Eparchus Corcyrensis Venetiis græcas litteras aliquandiu professus, demum ad suos regressus, inter Græciæ eruditos adnumeratur, & a Gyraldo inter poetas.

vellis Justiniani constitutionibus nihil est certi, quod ad te scribam: earum enim potestatem mihi nemo fecit. Pollicetur a me persuasus Arnoldus Arlenius eas se se brevi, omni adhibita cura, cum basilieusibns collaturum. Hujus opera, cum veneris, erit usui, propter ejus in græcis litteris studium & doctrinam. Sed hæc hactenus.

Portium, ac Probum Valerium cum his litteris tibi reddet tabellarius. Cottæ annotationes nullibi apparent. Bartolinum, si voles, ad te perferri curabo. Quod hic frustra hæserim librorum videndorum causa, perquam molestum accidisset, nisi audissem publice Joannem Baptistam Egnatium, & vidissem domi. Nam præter humanitatem, qua non mediocriter excellit, homo est mirifice tum urbanus, tum facilis in docendo. Equidem eo viro exquisitiore variarum rerum historia, aut copia majore prudentiam auctorum qui explicet, quem viderim meo quidem judicio nemo est. Scotum a Britannis fusum: Clivenses Mariæ reginæ exercitu oppressos, delectum habere; Turcam cum quatercentis triremibus adventare, rumor increbrescit. De Cæsare ac Gallo mirum silentium. Ego vesperi hinc solvam. Calcennam & nostros omnes meo nomine diligenter salutabis. Vale. Pridie Kalendas Decembres MDXLII. Venetiis.

LXXVIII.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO S.

Scripsi ad te Venetiis tam diffuse, ut nullo fere argumento mihi relicto, brevior, quam velim, esse cogar. Libros, ut mihi dederas in mandatis, una ad te misi cum græcorum jurisconsultorum indice. Præterea quid mihi videbatur de Jacobo Mendoza legato Caroli V Cæsaris quantum conjectura assecutus sum, tantum te minime celavi. Unum est modo, cujus a te quamprimum certior fieri volo, an huc scilicet, hisce studiorum remissionibus, quibus genio effuse indulgetis, sis venturus. Nam si ita est, Antonius Villetanus sequanus, quem, ut arbitror, isthic nosti, tibi numerabit unum & viginti nummos aureos, ut totidem mihi Patavii refundas. Sunt autem contractiores hi dies, & pauciores, quam quibus diu Venetiis esse possis. Quare iter urgeas oportet. Sed tu fortasse homo frugi potius ducis sumptuariis nostris legibus hic vivere, quam Bononiæ laxioribus. Si tu igitur isthic vel paululum hærebis, e re erit nostra in proximas ferias emendationem græcarum constitutionum differre. Sed hoc commodo tuo.

Haloandri Notas, redactis in commentaria tua quæ tibi probabuntur, Lælio nostro mittes, & epi-

stolam obsignabis meam. Locum Xenophontis de telo ab Cajo eleganter usurpatum repperi libro V. περι της τȣ κυρȣ ἀναβασεως. Τα βελη (inquit) ὁμȣ ἐφεροντο λογχαι, τοξευματα, σφενδοναι, πλεισοι ἐκ χειρων λιθοι. Cum hæc scriberem ecce tibi veluti ἀπο μηχανης suavissimum quemdam turbinem; qui mihi xysti fenestram dejecit, atque etiam epistolam hanc pene de manibus excussit. Quicquid vero chartarum habebam hac illac pervertit, perquam familiariter. Sed ne plura, frigore prohibeor. Utrumque certe, si essem, ut tu, poeta, insectarer gravissimis jambis. Reliqua igitur alio tempore multo diligentius. Calcennæ salutem. Vale. XVI. Kalendas Februarias MDXLIII. Patavio.

LXXIX.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO

S. P. D.

Carolum Lamonium Gallum tibi pluribus verbis commendarem, nisi de ejus virtute, si diligentia uterer, diffidere viderer. Magnopere desiderat doctos omnes atque studiosos videre, cognoscere, amare. Eum igitur, si me diligis, ut puto, in familiaritatem tuam admittes. Is Florentiam, Romam, atque

Neapolim proficiscitur. Cætera ex ejus sermone intelliges. Ego enim in animum induxi, te neque ejus erga te studium, neque meam voluntatem esse neglecturum. Vale. Patavio.

LXXX.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO

S. P. D.

Binas litteras a te accepi eodem tempore. Priores IV. idus Decembres datas; alteras VI. id. Januarii, quibus accurate responderem, nisi aut mihi otii non satis esset, aut tum maxime animum paulisper recreandum esse putarem. Deinde redditæ fuerunt perquam sero, nempe pridie nonas Februarias; idque Venetiis, qua in urbe nullorum consuetudine utor arcte admodum ad ea cognoscenda, quæ qui sunt novi videre mirum in modum cupiunt, ita ut quod reliquum temporis superest, curando tantum corpori satis sit. Ego igitur capita solummodo litterarum tuarum perquiram, reliqua Carolo Lamonio familiari meo relinquens, quem eorum quæ a me scire desideras, si quæ minime scripsisti, nihil latet. Primum quod significas te optare vehementer, ut de meis rebus ad te scribam, amo te meher-

vale plurimum. Quia vero negligentiæ graviter abs te accusor, moleste fero; molestissime autem Lælium nostrum in eo mihi anteponi, quod me multo frequentius & amantius ad te scribere videatur. Ego, mi Augustine, cum antea, tum modo enixe operam dedi, ut me tui quam studiosissimum & fuisse semper, & nunc esse cognosceres. Quod si tabellarii culpa litteræ ad te meæ serius venerunt, quam decet; honestum tamen puto, nihil ut cogites de mea erga te voluntate fuisse imminutum. Sed ea te scripsisse existimo abundantia quadam amoris, & desiderio summo mearum ad te litterarum. Quare quod mihi principio fuit peracerbum legere, id nunc sane est valde jucundum atque gratum. Hoc unum velim tibi de me persuadeas: sive scripsero, sive non scripsero, æque te mihi charum, ac quisquam unquam alius, perpetuo futurum, tuique memoriam apud me numquam certe nisi una extincto corpore intermorituram. Sed hæc fortasse nimia. Nunc ad Ansovinum Medicem. Cum primum Patavium rediero ei tuas literas legam; & ad Lælii mandata ut respondeat curabo diligenter. Ego profecto eum virum summe diligo propter ejus virtutes & ingenium. Quare si quid fieri poterit quod ejus virtutes illustret, opera haudquaquam erit perperam collocata, in homine præsertim nostris studiis mirifice dedito. Quid velit Læ-

lius, ac cupiat in ea re, ut ad me apertissime perscribat, atque plenissime, te oro, curato. Efficiam enim, ut ipse spe sua minime frustretur in eo retinendo. In annum tantum cum Venetis pactum esse arbitror. Quid præter nostram emendationem in pandectis præstiterit Lælius, sigillatim scire aveo: tum quando, quoque loco eas edet. Ad Gallum & Catonem commentarios nunc vellem inter manus hominum versari, ut gloria hoc anno sua frueretur.

De tua profectione cupio certior fieri. Nam si Patavium veneris, Venetias tecum proficiscar, ut te toto perfruar antequam mihi sis ereptus; ubi si quid describi voles ex jurisconsultis græcis, quod ante discessum tuum confici non possit, præstabo me tibi, ut sic dicam, institorem, & in Hispaniam ad te mittam. Novellas contulisset cum altero, idest Marciano exemplari Arlenius, nisi ad Grandivellanum civem meum una cum legato Cæsaris proficisci coactus fuisset. Nunc autem tot negotiis impeditur, ut neque tibi quidquam, neque mihi polliceri possit. Quædam de gradibus cognationis græce scripta habeo, & alium græcum librum, de quo alteris litteris ad te scripsi; quem ad te misissem ut legeres, nisi unum hoc impense curarem, ut ad librum Antonii Eparchi emendaretur. Abundat enim sexcentis mendis amplius.

Jacobus Mendoza Nicolaum Sophianum corcyrensem (a) in montem Athum misit a Thessalia centum milliaribus, ut quicquid librorum nondum editorum græceque scriptorum inveniret, ad se deferret, aut describi curaret. Is est, cujus tabellam Græciæ nuper commendabat Philænus Lunardus noster. Eum rogavi, & sum magnopere hortatus, juris consultos, præsertim codicem & pandectas perquireret; quod se facturum promisit; num id præstabit, nescio. Se ante menses septem non rediturum affirmabat. Bartolinum tibi reddet Lamonius. De tuis emendationum libris atque opinionum tibi gratulor. Eos diligenter edi curabo Basileæ, si voles. Ante tamen Romam videre cogito, quam in patriam redeam. Quo me vocat Joannes pater, cæterique omnes. Ego autem propero propter Claudii fratris obitum; sed ante mensem sextilem non discedam. Familiarissime ad te scripsi: hoc enim primum & unicum est exemplar hujus epistolæ, quam ad te mitto. Arnoldus Arlenius te salutat. Ego Calcennam. Vale. VIII. idus Februar. MDXLIII. Venetiis.

(a) De hoc in præfatione.

LXXXI.

JOANNES METELLUS ANTONIO AUGUSTINO S.

Nullas ad te litteras darem, nisi ex binis epistolis, quas eodem tempore accepi, cognovissem, tautum erga me studium in te & fuisse semper, & nunc esse, ut me in scribeudo urgere velle videare. Nam ternas ad te misi; tu ne uuis quidem respondisti. Me certe aut pauci, aut, ut mihi videtur, nemo magis est impiger ad scribendum. Sed puto post hac sedulitatem in eo abs te reprehensam iri, vel saltem tibi molestam futuram, in quo eam primum requirebas. Postremis autem scripsi, Legatum Cæsarianum misisse in Thessaliam ad Athum montem, sic enim appellant, Nicolaum Sophianum corcyrensem, ad conquirenda describendaque clarissimorum auctorum monumenta, ac opera; me vero, eum ipsum Græcum rogasse, ut si usquam loci pandectas græce versas, atque Justiniani codicem, aliaque Jurisconsultorum voluminα inveniret, huc afferret. Id enim ei commodo, quod ipse potissimum spectabat, haud mediocri fore. Est in meo ære compendium τε ἑξαβίβλε, Antonii Eparchi, cæterorumque judicio usitatissimum in Græcia, quod postquam emendatum unum atque

alterum exemplar erit, edi fortasse curabo. Bernardinum Mendozam hispaniensium triremium Præfectum hac, intra biduum, Genuam profecturum ajunt. Ad Lælii mandata de conditione pisana rescribo. Anguianus & Fasolus te salutant. Vale. IX Kal. Mart. MDXLIII. Patavio.

Scripta epistola, ecce tibi litteras Caroli Lamonii, ex quibus intellexi, nummos aureos viginti, de quibus ad te scripseram, tibi redditos, ut eos mihi Patavii refunderes. Eam pecuniam nondum accepi. Hoc amplius te rogat Anguianus noster; nempe ut cum primum poteris, eum certiorem reddas, quando in Hispaniam solves. Eo enim & ipse cogitat. Vale.

LXXXII.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO

S. P. D.

Isthuc redeunte Calcenna nostro, non potui plurimis verbis epistolæ tuæ rescribere. Vir enim est tot nominibus mihi conjunctus, tam familiaris, atque adeo sermone tam polito ac urbano; ut plus ei multo elegantiæ suppetat narrandis rebus, quas scire aves, quam quisquam alius ulla oratione consequi possit. Sed tu, mi Augustine, illis litteris ef-

fecisti, ut quantum te ab omni arrogantiæ suspicione abesse video, tantum nolim a pudore. Namque postea quam legi, te, ut in publicum exeant Commentaria tua, curare diligenter, Lælium vero, ut integræ Pandectæ Bizantinæ, arsi nimirum cupiditate incredibili, ut meum tuis libris insereres nomen, quod te facturum minime diffidebam. De Lælio magis me movebat, hominem ætate gravem admonere, ac rogare, an satis honestum duceret, dubitabam. Istud potius cogitavi, ut tu, tuo quodam jure, ad eum scriberes; ne non cum tui mei quoque mentionem faceret; si tamen esset, quemadmodum scribere consuevisti, e sua dignitate; id quod ego nunc, tam magna contentione abs te peto, ut qui maxima. Puto enim me ea ratione majorem virtutis opinionem atque ingenii laudem nancisci posse, quam si ego aliqua commentatione mea eam viderer ambire. Præterea jucundissimum mihi futurum est, tot laborum, quos tu non ignoras, a me susceptorum testimonium aliquod præclarum: alterum æqualis mei, ac amici, illud tale, quod a Viro, qui nos ætate longe antecedit, profectum, tuum de me judicium non modo probet, verum etiam illustret. Hæc igitur cupiditas mea tibi nequaquam esse debet molesta. Nempe qui conjunctissime studiis operam dederunt, eos una quoque scriptis & vivere & velle mori decet. Quæ tamen si tibi haud ita vi-

debuntur, proximum erit ut pro certo habeas te tantum a me diligi, ut singularis opinio, quam de te concepi, id quod verecundia animo inclusum retinebam, id omne e pectore exprompserit. Petrus Domingues noster nummos illos accepit a Montesa; sed romanos, qui sunt venetis sestertiis plus minus octo inferiores. De libris Lælii gratum fuit; sed integriores desidero Nam accesserunt ad veteres cicatrices imbrium novæ maculæ longe prioribus deteriores. Græcum Jurisconsultum nondum mendis purgatum esse scito. Vale. Idib. Martii MDXLIII Patavio.

LXXXIII.

JO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO S. P. D.

Et antea sæpe, & nunc maxime cognovi tantum tuum erga me amorem fuisse, quantum mihi non solum significasti, sed plane reipsa ostendisti. Quam enim gratum accidisse mihi putas, me abs te superioribus tuis litteris tam familiariter tamque amanter reprehendi? quam jucundum, in eo præsertim, quod, ut videtur, ita sane est prudentiæ judiciique communis? Ad quas litteras paucis respondebo.

Ego, mi Augustine, cum te unum omnium plurimi faciam, tum multis in rebus, tum iis vero quæ sunt quidem nostrorum studiorum, valde optabam, me iis litteris, idest monumentis præclaris ingenii tui, ita sibi conjungi, ut posteri, apud quos mansuram nominis tui memoriam mihi ipsi persuadeo, facile intelligerent, quanto me amore atque benevolentia esses prosequutus. Quod unum mihi satis esse existimavi ad fructum, ut ad te antea scripsi, ex tot exantlatis in pandectarum nostrarum emendatione laboribus percipiendum. Non enim doctrinam, aut industriam, aut ingenium abs te meum commendari studiosis volui; diligentiam, desideravi. Sed ita, ut quæ in me mediocria esse sentis, ego omnino nulla, tamen intra modum ornares testimonio tuo. Nunc autem lecta tua illa epistola, illud meum desiderium mihi refrixit: ita enim velle videris quamquam invito. Video enim quid tribuat tuis Commentariis Lælius noster, vir judicii atque ingenii singularis, cujus epistolam hic de integro scripsi, ne tu post hac de mea levitate conquerare.

„ Lælius Taurellius Joanni Metello S. P. D.

„ Quas ad XVII. Kal. Februar. scripseras, ego ad „ VI. Kal. Mart. legi litteras, multis me nominibus „ delectarunt, eo cumprimis, quod Ausovini Medi- „ cis, laudatissimi viri, mihi & amicitam, & litteras „ detulerunt; quo nihil gratius contingere potuit.

„ Indicem magistratuum addiderunt, item munus
„ mihi gratissimum, et Haloandrinas emendatiun-
„ culas, magis pro re, ea vel ratione gratas, quod
„ ea cura liberatns sum , qna tenebar , novissimum
„ ejns viri jndicinm cognoscendi. Itaqne gratias
„ tibi ago quas maxime possum. Antonius Augusti-
„ nus noster misit ad me partem ex qnatuor ejns
„ libris emendationum, & opinionum, pollicitusque
„ est per litteras residuum, & librum singularem
„ ad Modestinum de excusationibus. Multiplicem
„ ejus eruditionem perspectam habes. Fortasse &
„ hasce commentationes vidisti, quo minus adfir-
„ mare me tibi oportet, nihil vidisse me hacte-
„ nns doctius, diligentius, prndentins, elegantius
„ in jure scriptum æqualium nostrorum memo-
„ ria; sed vide & modestiam, ut a me, inquit,
„ omnibus mendis expnrgentur. A me vero scri-
„ pta emendentur, & talia, & talis viri? Video
„ tamen accurate, cum ut illi morem geram,
„ tnm vero ut multa addiscam, mnltis in meis
„ pandectarum emendationibus juver, delecter
„ universis; postremo ut hæc omnium votis ex-
„ petenda edantnr. Nam & editionis quoque ar-
„ bitrinm ad me detulit. Putabam te omnia ex illo
„ nosse, quo cnm omnia tibi commnnia; sed ex me
„ volni scires gaudinm menm. Habeo isthic Camil-
„ lum Jordanum nobilem Pisaurensem, cui pro-

„ ximis mensibus despondi filiam, juvenem, ut „ ajunt, multæ indolis. Jamdudum hortatus sum „ eum per litteras, ut te conveniret, salutemque „ meo nomine diceret. Rescripsit te ad eum diem „ Patavii non reperisse. Illi ego ut cognitus sis, „ valde cupio. Scilicet ut hominem moveas ad bo- „ narum litterarum studia cum legibus conjungen- „ da, illisque acriter incumbendum. Vereor enim, „ ne in obsoletis illis nostris multus sit. Itaque ro- „ go te, mi Metelle, ut hoc quoque debeam tibi. „ Vale. Florentiæ Kal. Mart. MDXLIII.

Quod ais tibi non probari, ut a Lælio laudari petam, ego nullum ea de re verbum ad Lælium, hocque tibi affirmo, nec me hoc ad te unquam scripturum fuisse, nisi tibi cognitas esse voluissem atque perspectas omnes etiam qualiscumque animi mei cogitationes, ut eas notares aperte, aut etiam quam gravissime reprehenderes. Sed ad extremam epistolam tuam.

Cum, ut nonnullas Joannis patris epistolas ad me scriptas acciperem, Venetias profectus essem; nuntius a te missus Patavium appulit. Is igitur mihi proximo die reverso reddidit epistolam tuam longe elegantissimam atque humanissimam de pandectis edendis. At ego, mi suavissime Augustine, statui integro semestri linguæ græcæ operam dare, eam cum puer summis tantum labris degustarim: in ea

mihi tantum otii insumendum est, ut multos, sic enim vocant, magistros qualicumque modo itelligam. Propterea Joanni patri, qui me ad se accersebat, rescripsi, ad Sequanos tuto redire me non posse, nisi difficultate, atque periculo bellorum, atque ubique gentium tumultuum, explicato. Romam vero proficiscar mense Octobri, ubi ero aliquot dies. Sed hoc unum tibi plane possum polliceri, me, si Lælius tandiu differet evulgationem, omni labore, opera, cura, studio, diligentia curaturum, ut quam emendatissime a Frobenio viro diligentissimo pandectæ Florentinæ, me præsente, et scriptorum negligentiam corrigente, describantur. Nunc certe magis e re mea est, litteras græcas, quarum sum rudis, discere, quam illud onus suscipere, in quo ego præterea multum laboris, nihil cæteri emolumenti consequantur. Facies ergo Lælium nostrum certiorem de mea voluntate, & hoc addes, si quid inter nos id temporis convenerit, me quot volet dies consumturum Florentiæ ad ejus consilia de editione cognoscenda. Poterit interim quæ animo concepit explicata relegere, atque diligentius perpolire. De Roberto Stephano non est cur admodum laboret. Frobeniani characteres sunt multo meo quidem judicio elegantiores, & minus obtundunt oculorum aciem. Est item Frobenii in evulgandis vetustissimis quibusque omnium disciplinarum libris

magna auctoritas: Roberti minime celebris. Si tamen instabit Lælius de Roberto, ei omnia me sua facturum causa, meis verbis recipito. Quem, velim, in ea opinione retineas, qua sibi persuasit, huic editioni me utilem fore.

De tuis libris gratum fuit intelligere. Ego si tibi ita videbitur, eos edeudos mittam ad Gabrielem Jolitum, Venetiis mihi conjunctissimum, cujus characteres perbelli sunt; &, si voles, editioni præero. Tamen si me audies, una cum pandectis emittes in lucem. Nam quouiam sunt membris dissolutis, integro corpori veluti capiti rectius hærebunt; eruntque magis illustrium locorum tamquam indices quidam. Nunc ad Ansovinum. Is Pisis jus civile docturus est, si ei conditionem offerent Florentini, quæ patavina præstet. Eam quippe se petiturum negat. Quare si quid transigi volet Lælius, quanti eum docere cupiat, aperte perscribat. Et Joannes Faseolus, & Petrus, præceptores græci nostri, item in primis Ansovinus ipse, te salutant. Ego Calcennam, Dominguem, Martinum, cæteros. Velim ut ad me mittas loca græca novellarum constitutionum, quibus mentio fit τε προς ἀνακρισιν. Cura ut valeas. Patavii. Pridie iduum Aprilis MDXLIII.

LXXXIV.

IO. METELLUS ANTONIO AUGUSTINO

S. D.

Martinum meum libenter vidi, cum propter dubiam valetudinem, qua eum quidem vexari Bononiæ intellexeram, tum vero quod litteras tuas diutissime optatas attulit una cum libris tuis; quos non minus quam reliqua desiderabam. Mihi quidem videbantur non indigni mea bibliotheca. Audiam itaque cæterorum judicia, Ansovini præsertim, qui tempus ad rescribendum petit. Cum scripserit, ejus epistolam ad te mittam, quam scio laudum plenissimam futuram, ut ea te erigat. Sed & Commentarium Regularum Juris brevi cupio edere: quare descripticni, quam a me petis, supersedebo; quod te inscio non fiet, ut præfationem cera notes rubra, atque limatulo judicio tuo castiges. Quam epistolam ad Philibertum Metellum Jurisconsultum propinquum mitto: namque tot me meritis cumulavit, ut me sibi omnino devinxerit. Tu itaque ad me scribes, tibine id probetur. Ego enim stet cadatque tuo judicio is liber volo. Quas tu constitutiones omnes te describi curasse ais, & pontificales item regulas, & quæ Eusebius de Constantini legibus edidit; teque hæc omnia cum editis colla-

turum, haud satis intelligo quid sentias. Quare te rogo, ut me certiorem reddas, singillatim quid quisque liber contineat; erit namque omnium gratissimum. Vale. XI. Kalend. Octobris MDXLIII. Patavii.

LXXXV.

METELLUS AUGUSTINO S.

Silentii mei causam ego te non latere puto valetudinis meæ curam; quam alioqui afflictam Venetiis es intuitus. Quare excusatione non utar accurata. Mitto ad te Hieronymi Osorii librum de nobilitate, quemadmodum mihi mandaras. Libris vero tuis nondum usus sum. Codicem Egnatii libenter videro. Hic creber fuit rumor, Jacobum Mendozam Legatum Cæsaris e vita decessisse; quem rumorem falsum esse gaudeo. Valetudini meæ imputabis brevitatem litterarum. Vale, & ama me.

LXXXVI.

METELLUS AUGUSTINO S.

Cum isthuc venisset Claudius Maria Sequanus, mihi tum summa familiaritate tamdiu conjunctus,

tum propter eximiam probitatem & carissimus, & commendatissimus, etsi multis ante diebus nihil ad te scripsi, tamen putavi longis litteris studium istud tuum in græcis Justiniani, latinisque Julii Patricii constitutionibus vetustissimis, me haud turbare oportere. Nam de meo rerum statu plura hic referet, quam ego possim epistola complecti. Ero igitur perbrevis. Ego quod ad meam valetudinem attinet, a tuo discessu belle valeo. Salvus item Ferrariam, ut ante constitueram, appuli. Apud Alciatum vero nostrnm etiam est optime. Sed hæc hactenus. Faseolus item noster, qui te cum multa ejus erga te amoris testificatione salvere jubet, in mandatis dedit, ut Mendozæ legato, quod reliqum erat duobus exemplis Simplicii a se conversi, redderem. Quare ab Arlenio alterum accipias necesse est. De Cæsaris castris ad Landrecianum huc afferuntur quædam: sed auctore primum non certo, deinde, ut mihi videtur, plurimis causis falsissima. Tu si quid certi habebis, ut de cæteris rebus tuis atque stndiis facere nos, amabo te, certiores, minime gravere. Aveo scire, an Lælius pandectas florentinas, quod hic accepi, a Priscianense describi, edique curet. Vale. Idib. Novemb. Ferraria.

LXXXVII.

METELLUS AUGUSTINO S.

Has litteras scripsi jam prope ad iter accincto hoc, qui eas tibi reddet, adolescente amico familiarique meo. Quare scito me ad ea quæ tu scripsisti ut primum quicquam in buccam venerit esse responsurum. Itaque quod scribis, ut quid in tuis mutandum libris sit censeam, video quantum nimio quodam amore erga me fallare; quo carere me oportere judicabis, si tu quod petis ut faciam a me contendes. Sed ego scilicet noctuas Athenas, aut sus, sic enim ajunt, Minervam. Domesticus quidam Alciati modestiam in scribendo, atque prudentiam tuam, imo etiam elegantiam valde laudat; rem tamen, minime. Nihil te docere, quod quempiam juris articulum contra quam cæteri sentiunt aut fulciat aut infirmet, asserit. Nam Alciato nulla adhuc mihi est oblata occasio de hisce colloquendi: tantum de tua erga se observantia, inque litteris summo labore tuo ac doctrina verba feci. Itaque, nisi fallor, te diligit. Dixit se brevi ad tuas litteras, cum vacabit, rescripturum. Librum tuum emendationum ante dies quinque accepit. Novellarum Justiniani compendium ostendit mihi manu Longobardica ante multos annos descriptum, edito, si ei

credis, longe locupletius. Desunt in extremo aliquot pagellæ, vel potius, ut mihi videtur, multi codicilli. Nam primus etsi liber est integer, secundus, non enim plures in hoc leguntur, paucioribus paginis constat, quarum postrema sententiam non absolvit. Inscriptio eadem libri cum ea quam tu a me habes; nisi qui illic auctor deest, hic Juliano adscribitur, quamvis attrita fere, & minio scripta.

Ad interpretationem verbi μονομεροῖς abs te factam potes adjungere Luciani in de calumnia dialogo locum: ἐςι τοινυν, inquit, ἡ διαβολη κατηγορια τις ἐξ ἐρημι γιννομενη, του κατηγορεμενου λεληθυια τε μονομεροις ἀναντιλεκτω πεπιστευμενη. Si recte tamen ejus testimonii memini. Quidam Gallus mihi retulit Lugduni venire jurisconsultum quemdam græcum de servitutibus editum in Germania, quem a se visum confirmat: id ne verum sit, ego dubito, & aveo scire. Amicitiam contraham, ut me hortaris, cum Lilio Gregorio, nimirum ad hanc diem vel vix paulum admodum in otio fuerunt scholæ nostræ. Quæ causa obstitit cur ad te antea non scripserim, quamquam duabus suavissimis epistolis a te provocatus; quas quo serius accepi, eo me majori lætitia perfuderunt. Nihil enim æque tum cogitavi atque frui fructu sermonis litterarum, quas de optatis a me rebus supra modum elegantissime perscripsisti. De Codicillis Mendozæ, sic enim appellas, certiorem me

facito, & de cæteris emendationum tuarum libris, quos jam non modo myriadas, imo chiliadas superare audimus tum numero librorum, tum vero gravitate. Sed hoc tuo more jocati sumus. Calcennam, & Martinum nostros salutato. Vale. Ferrariæ. Christi natali MDXLIII.

LXXXVIII.

JO. METELLUS AUGUSTINO S. D.

Librum Juliani Bizantini una cum suavissimis litteris tuis accepi a Petro Torrone Barchinonense: qui liber mihi fuit valde gratus, quod privata studia nostra potest adjuvare; nam ut pubblica, nisi ad veterem eruditionem nonnihil accedat & industriæ & diligentiæ, nimium fœde corruptus est. Nosti vero ingenium Alciati, quem vix tandem movi, ut ad te scriberet. Aliquid tentabo, si cuius ei nuperrime mentionem feci, codicem mendozianum mitteres, ut dum suo ego, ille tuo utatur. Sed hoc ut voles. Puto certe nos in petendo oleum ac operam perdituros: expectabo tamen quod imperes; deinde librum remittam, cum nuntium, cui tuto committatur, invenero. Græcam legum epitomen ego ultro ad te. Sed Arnoldum Arlenium quominus vacaret illi castigandæ, negotia quædam occupa-

sunt, urgere autem neque possum, neque debeo; & si possem, vereor, ne mea causa quidquam in optimis artibus operæ tuæ detraxisse videatur. Tuos & Ferreti libellos vorare cupio. Ad illum tuum de dignitatibus is Alciati nostri, qui de militaribus & civilibus officiis inscribitur, pertinet: cujus *Parerga* iterum Basilienses Praxiteles, at aucta quarto. Quibus rogo te coloribus? Post Lugdunenses eum, qui de certamine singulari (ad quem Socini nescio qui Mariani centones) Venetiæ. De Lælio pergratum fuit intelligere. Si quid ille de pandectis statuit, certiorem me facito cumprimum. Brevi enim ad sequanos. Quare, si mea in his edendis diligentia volet uti, integrum fore me, testimonio tuo recipias velim. In tuis emendationibus Ansovinus Aristarchi personam non induit. Res est, inquit, ejusmodi ὡςε πονου πολλου και χρονου μακρου και διανοιας ου σμικρας δεισθαι. Sed hoc, ait, dictavit a cæna; tu sobrium, ut cætera, potius arbitrare. Quod attinet ad locum Luciani, lego μονομενους, & sic interpretor; ut sit calumnia criminatio, quæ, absente, ac ignorante reo, credita sit calumniatori. Nam ἐξ ἐρημι pro clam usurpatum scio; nisi fortasse ἐξ ἐρημης indicta causa, quod minime probo, malis conficere. Mirandulam Cæsarianis proditam ferunt. Franciscus Turrensis te salutat; ego quoque Calcenaai nostrum. Ferrariæ Octavo Id. Febr. MDXLIV.

LXXXIX.

METELLUS AUGUSTINO JURISCONSULTO S.

Gullielmum Gallum, qui tibi has reddet, tibi commendo, ut tu eum quoque mea causa Lælio nostro commendes diligenter. Est enim mihi charissimus. Etruscas pandectas videre cupit. Qua in re, si quis alius, eum potes juvare maxime. Facies ergo mihi gratissimum. si quod is petit opera tua consequetur. Vale.

XC.

METELLUS AUGUSTINO S.

Accepi a nonnullis, qui se tibi prædicant esse familiares, te Romam statuisse proficisci. Cujus videndæ urbis quoniam jam longo ante tempore prope arsi, atque ea in ipsa sententia adhuc permaneo; hæc ad te pauca, ut si minime molestum erit, una intra dies quindecim eo cogitemus, Igitur efficies intelligam cum primum, quando tu illuc, deinde isthuc me tu ad te voles venire. Reliqua, quæ proximis superioribus litteris mandasti de emendationibus, partim in te sita sunt, partim in Alciati erga me certe, ut mihi videtur, obscuro studio, de

quo quid sentiam, certiorem te feci: ne quid me tua causa recusare putes. Sed hæc nimium multa, cum valde tabellarius urgeatur. Vale. Ferraria.

XCI.

METELLUS AUGUSTINO S.

Alvarus Nepos tui studiosissimus vir, mihi Senis Lælii causa Florentiam redeunti dedit Homerum editionis perquam castigatæ, ut ad te mitterem. Quem librum, quia tersus est, atque correctus, a multis laudatum scio. Propterea cupit ut hunc habeas tamquam το μνημοσυνον tuorum erga se beneficiorum. Quare te hortor ut ad se scribas, id quod puto erit tibi gratum contigisse. Nihil enim, nisi fallor, magis optat, quam ut obsequi tibi velle videatur. Postquam discessi Florentia, fui Pistorii, Lucæ, & Pisis; deinde adLælium, quo, ut existimo, dies aliquot utar hospite familiariter antequam Romam proficiscar. Quid ille de pandectis, hæreo. Quod fiet te minime celabo: interim Mediceam Bibliothecam explicabo, & si quid invenero, te faciam certiorem. Illic repperi alias, quam quæ Politiani fuerunt, græcas institutiones, quas velim vidisses. Sunt enim, mea quidem sententia, multo e-

mendatiores, quam quæ vulgo circumferuntur. De cæteris tum non licuit itineri prope accincto. Sed hæc a me postea cognosces. Vale. VIII Idus Sextilis MDXLIV. Florentia. Lælius te salutat, ego vestros, atque adeo nostros omnes.

XCII.

METELLUS AUGUSTINO S.

Etsi est epistola tua perquam brevis, tot se tamen diffundit in partes egregiæ tuæ erga me benevolentiæ, ut argumentum mihi copiosum relinquatur. Quid enim? Gratuler ne tibi maximum istum romanum magistratum. Gratuler ne, quod te minime prehensante, Quintus te noster Cæsar unum maxime ad hunc delegit; Paulus vero Tertius non semel ne cogitantem quidem accersivit? Gratuler ne quod tibi contigit prope adolescenti? Sed me comprimam, tecumque, ut antea consuevi, familiariter. Ego igitur quod scribis, atque potius hortare, ut quæ Lælius ille noster ad illustrandum jus civile jandiu inchoavit, una curemus, quantum possum, ut efformentur ac perpoliantur, enitor. Sed nihil ex sententia cessisse video, aut impedito Cosmo duce, aut certe nolente, nimio quodam pudo-

ve, Lælio; ego autem ne verbum quidem amplius. Nam qui, quod minime facio, ambire videri velim? Itaque illud me magis recreavit, quod abs te postea me non avelli posse putas. Ostendis enim quid ego tibi, quidque tu mihi tribuisse videare. Quare quæ de græcis jurisconsultis, si potero, curabo diligenter. Nunc extremum est (cur hæc tot tuis linguis præditus, immo præter spem locupletatus, reticeam?) nunc igitur quoniam tam gravem expectationem sustines judicii, & ingenii, ita tu eam singulari tua virtute tueare, ut qua tu primum tantam commovisti, eadem majora deinde, quod a Diis omnibus votis expeto, consequare. Desideratum honesta conditione ultro venit in deditionem, atque modo Rex molitur cum Grandivellano & Gonzaga colloquium. Quæ tu mihi de Jure pontificio es pollicitus, describi curabis omnia, & Curtium Sadoleti, si non alibi editus, quam Bononiæ, reperiatur. Loca item in tuis pandectis, quæ præsertim habentur epistola græca corrupta, colliges, & abs te correcta, ne non hac iter faciens, ea tu possis emendare. Vale. VII Kalendas Septembris MDLIV. Florentiæ.

XCIII.

JOANNES METELLUS
ANTONIO AUGUSTINO JURISCONSULTO S.

Quo mihi jucundius contingit te meum istuc adventum tandiu ferre non posse, eo accidit molestius officium abs te meum reprehendi. Nam etsi non ignoro, eo me amicitiæ gradu & olim fuisse apud te, & esse nunc, quo me saltem non decet opinione mea falli, tamen valde, ut id lætor, ita hoc unum doleo, in quo non oportet, studium erga te meum non probari. Accusas enim me, immo pene criminis aperte damnas, quod neque mihi creditum Lælii de re tua responsum, cujus tu quidem indigeas supra modum, neque librum tuum (quem autem intelligas nescio) miserim. Ad hæc sic habeto, in eo, in quo caput tuæ accusationis constituis, me, unum omnium maxime, neque tamen, ut opinor, reum, absolvendum esse. Nec enim quidquam Lælio ante quam redderetur epistola tua de mea profectione recepi, immo ne quidem cogitavi; in eo vero, quo te præ cæteris desiderare diligentiam meam judicavi, & te præ te ferre silentio tuo gratissimam tibi futuram, eam operam dedi, quæ me prorsus omni suspicionis nota liberet. Ego enim post discessum istinc tuum, cum omnes angulos bibliothecæ me-

diceæ diligenter inquirerem, repperi Cæsaris nostri Novellas de nostra Religione constitutas; in his quod te tentare, exercereque industriam tuam scio, descriptas recognovi.

Quod si tamen ob tarditatem litterarum oppidoquam tibi negligens videbor, cogitare debebis, nullas Lælii nostri litteras a me prætermissas, in quibus non curaverim aliquod officii mei signum relinqui; sin temporis longinquitate, illud virgula quadam, ut ajunt, divina contigisse, ut Jacobus Mendoza Legatus cum græcis scriptoribus Arlenium huc mitteret: horum itaque tum moribus, tum importunitate (namque eas descripserunt) evenisse, ut litteras, reditum quoque (ita enim jam potius appellandus est) in urbem meum morarentur. Id autem quidquid est, vorandum tædii fuit, nisi eo libro carere voluisses. Habes excusationem meam, quam ornatam, veriorem, quam te puto, alia coram mihi referenti, quod (ut spero) brevi fiet, probaturum. Nulla ergo causa est, cur non cum Lælio, & (si vis) mecum instituto tuo scribendi possis uti; sed utcumque sit, omnibus viribus enitar, ut intelligas, mihi neque benevolentiæ, neque summi amoris, neqne officii erga te mei egregiam voluntatem aut unquam defuisse, aut ullo deesse modo posse. Vale. VI Kal. Februarias MDXLV. Florentia.

XCIV.

LÆLIUS TAURELLIUS ANTONIO AUGUSTINO S. P. D.

Nisi perspectam haberem summam humanitatem tuam, ordirer excusationem, qua me accurate purgarem ab omni suspicione ignaviæ, cujus non me tarditas adeo arguet, ut non magis rara, & futilia, quæ in tuis scriptis adnotavi, apud te convincant. Sed ea fretus, & quod plane cognitæ sint tibi & exiguæ vires, & innumeræ occupationes meæ; omnibus aliis omissis ad quædam alia venio, quæ mihi visa sunt adhuc animadversione digna in singulari libro excusationum. Nam quod ad quartum opinionum, & emendationum attinet, cum iterum, atque iterum legissem illum, nihil fuit quod mihi non valde placuerit, præterquam inculcationem quamdam eorum, quæ tu aliis tribus libris postea tractasti, quæ tibi reconcinnanda esse arbitrarer, atque in alterutrum locum rejicienda. Excusationum libellum ad fratrem miseram, ut scripsisse arbitror; cujus nonnullæ ad me notæ cum his erunt ingenua quadam (qua ille natura est) simplicitate scriptæ: non uti ad te illas mitterem, sed ut si qua ex eis consideranda (ut ait) viderentur, tibi significarem; sin autem, dilacerarem. Ego autem volui

te omne, quidquid est, videre, & boni consulere, ut mea. Neque enim minus amanter scripta sunt, aut is minus nobilissimum istum animum, & innumeras virtutes, ac summam eruditionem tuam, quam ego, observat, & colit. Quæ autem mihi occurrebant erant hujusmodi.

Ad L. I. de confir. tut. vel curat. Et credendum, ais, Constitutionum illarum tempore id consulare munus fuisse. Hoc loco ego in commentariolo sic fere habebam. Claudius (ut est apud Tranquillum) sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a consulibus darentur. Marcus autem (ut Capitolinus ait) prætorem tutelarem primus fecit, cum ante tutores a consulibus poscerentur. Hinc consularem potestatem appellat origine inspecta; nam prætorum hodie ius est, provincialiumque præsidum, ut Ulp. scribit, quo loco se ipsum aperit alibi scribentem, tutoris dationem neque imperii, neque jurisdictionis esse, sed ei soli competere, cui nominatim hoc dederit vel Lex, vel S. C. vel Princeps.

Quæ omnia nihil obscure significat Justinianus de Attiliano tutore; atque his invicem constant quæ illo loco scribit, post leges Attiliam, Juliam, & Titiam pupillis tutores ex inquisitione dari, fuisse Claudii sanctione introductum, quodque rursum addit Prætores postea dedisse ex Constitutionibus ad Divum Marcum referri.

Ad L. XXI. de tut. & cur. datis. De eo, qui Romæ est legatus, ne a provinciali Magistratu detur tutor. Quod si non Romæ, sed in alia provincia legatus sit, dubitari potest, nam jus revocandi domum non habet L. 4. § Item si extra de judic. Sed si ponas principem in alia provincia esse, videtur & ibi nec dandus L. VIII de Legat. Nec interest, inquit, in urbe, an in provincia agentibus nobis mandata sit. Deinde ais, qui se inferunt ut creentur. Scio & inferre se, & ingerere eadem significatione, & pro intrudere legi apud auctores, jurisconsultum tamen mallem ingerere cum Ulpiano scribere, qui operam, inquit, suam ingerit invito. in L. Quæ omnia de procur. inferre autem apud nostros hoc significatu non legi. Sed scrupulosa hæc nimis.

Ad L. II. qui potestatem § 4. tut. Auditorem Ulpiani fuissse Modestinum non legi, legi autem apud Lampridium in Alexandro, utrnmque ac plerosqne discipulos fuisse Papiniani: condiscipuli ergo fuerunt. Studiosum autem pro auditore, aut discipulo non memini legisse; tutius ergo eadem hoc loco voce utereris dicens cujus studiosus Modestinus fuit, cupidus nimirum observator, & cultor.

Ad I. L. Qui petunt tut. § si quidem 3 affers constitutionem, cujus verba snnt hæc: Imp. Antoninus Chrysantæ, etc. Hæc constitutio respicit adultos, non

autem iis minores; ideo congruentius sequenti capite ponenda videtur.

Ad L. I. de excus. ais ita: Quamobrem arbitror constitutiones illas leges appellare. Et hoc ego arbitror. Sed & jurisconsultorum responsa sic appellari scio apud eumdem Justinianum in L. tanta §. tanta *de veter. Jur enucl.* Sed unusquisque, inquit, eorum, qui legis auctor fuit, nostris digestis inscriptus est: tum alibi quoque, quod hoc loco te exprimere oportere arbitror, tum alio quodam, ubi capita appellanda censes, ut nec pœnitendum sit vulgato more leges eas appellare.

Differentiam de patribus famil., & hujusmodi, ut de libertinis, vellem aut non utique adfirmari, aut anctoritatibus confirmari: nam quod ad libertinos attinet, non puto perpetuum, atque aliter accipi videtur il L. ul. de statu hom. & libertum aliter in L. II de adsess. quam scripseris; & curiosum, ac minus occupatum indagatorem alibi reperturum reor.

Ad L. IV. Quod ais omnes fere jurisconsultos, ex quorum libris digesti constant, L. Severi, & Antonini Caracallæ temporibus floruisse, non satis constare videtur; nam Alexandri tempore complures vixerunt, qui diu post imperavit. Nec Caracallam hunc Magni cognomento insignitum arbitror, sed Antoninum Pium, quod ex pluribus aliis locis, quibus hoc infra scribis, considerandum. Præsertim in

§ L. VI. *Sed & reprobari*: quo loco forte non Divus Magnus Antoninus cum patre in XI pandectarum Modestini libro, & in nostris digestis, ubi verba ejus ponuntur, legendum arbitror; sed Divus Antoninus cum Patre; Magni autem vocem irrepsisse ex sequentibus. Nam placet eo loco vid. in §. *Sed & reprobari* præcedentia verba *Ulp. ita scribit* referri ad præcedentia comprobanda; sequentia autem *sed & reprobari*, & ea addita esse ex ejus XI libro pandectarum latinis verbis, ut ibi fuerant.

Alciatus in locis a te citatis, & dum ciet. L. Qui §. Stichum verba illa *in ipsa* cum præcedentibus jungit. Sed sic legendum, *vi quidem ipsa*, & hic ex his, & puncto ante vocem *vi quidem* apposito.

Ad L. VI Latini libentius præceptores appellare eo nomine videntur &c., verbum *videntur* inculcatur hic statim sequenti membro. Item in L. Aquilius non lego præceptorem, sed rethorem, & magistrum.

Ad L. VIII cum de ætate militari agitur, atque ad Livii auctoritatem respondes, ego amplius respondendum censeo. Nam sic ejus verba capiebam: qui initio belli XVI annos nati fuerant, neque militaverant, scil. initio eodem, ut utrumque verbum *fuerant*, & *militaverant* idem tempus respiceret, tu vero separas tempora, quæ oratione conjuncta, &

pro eodem significata videntur. Notasse enim videtur censura illa qui XVI annos nati principio belli non militassent, non autem qui XVI annos nati belli initio essent, neque postea illo bello militassent.

Ad L. IX prætorias cohortes urbanas existimas fuisse. Festus autem, quem Sextum vos dicitis, Pompejus dictam ait prætoriam cohortem, quod a prætore non discederet. Scipio enim Africanus, inquit, primus fortissimum quemque delegit, & reliqua, quæ scribit lib XIV, quo singularis huius responsi sententia perspicitur, ut non cuilibet tribuno competat hæc excusatio.

Ad extremum actum. Quas siglas Justinianus appellat. Sigla puto, & dicendum: *quæ sigla*.

Item quod Tabularios olim, hodie Tabelliones appellatos censes, ego dubito. Videntur enim differre, ut colligitur collatis locis. De Tabellionibus, seu pragmaticis mentio in L. *Moris* §. 4 de pæn. de tabulariis in L. *Numerum* §. hi quoque de muneribus, & honor. Utrobique autem liberi homines fuisse videntur, unde quamvis tabularii possent olim esse & servi, non idem & de tabellionibus lego

Quod in L. III de Decurionibus in fine Florentinam lectionem corrigis, non video cur teneri non possit, ut necessitates honorum accipias, qui non læderent superstitionem eorum.

De Consulum appellandorum ordine quod adfirmas, auctorem desiderat. Non dico non ita rem habuisse, nam observari potest vel in his, qui pluries fuerunt Consules, apud Livium, ut perpetuo, qui nunquam fuit, aut rarius, postponatur ei qui iterum aut tertium renuntiatur, aut frequentius. Sed cur S. C. Trebellianum, & Vellejanum a posteriori Consule appellata sunt?

Quæ super tua conjectura de Sacerdotio in florentino codice occurrerunt, ad fratris schedulam adnotavi.

Remitto ad te librum excusationum, & tres priores opinionum, quartum penes me habebo, si placuerit tibi. Item & hunc excusationum, quem mihi describi curavi, neque alius quispiam describet. Quod autem quæris ecquid imprimendos censeam, ego vero censeo summopere placituros, atque utiles futuros præcipue legum studiosis. Illud non reticebo, parcius vellem ut de me scriberes, ne qui mediocritatem meam non ignorabunt plus benevolentiæ dedisse te, quam judicio existiment. Sunt etiam hic qui nollent ante pandectarum editionem excudi, quod editioni gratiam prærepturos credant: ego contra hos libellos auctoritatem, & gratiam antiquo huic thesauro conciliaturos comparaturosque arbitror, excitaturosque animos omnium in editionis desiderium. Itaque statim curavi, ut Bernar-

dus Juncta scriberet ad Thomam patruelem suum Venetiis impressoriam exercentem, ut cum primum a Metello conventus fuerit, ei det operam, & libros hosce excudat, conditionibus secum statuendis. Liberum erit Metello aut secum, aut cum quo alio maluerit convenire. De Ansovino nihil adhuc certi habebam. Curaveram autem cum trecentos scutatos Patavii habere eum sciam, quingentos offerri, ut Pisis doceat, quod scripsisse ad te meminisse videor. Vale. Florentiæ XV Kal. Junias.

XCV.

LÆLIUS TAURELLUS
ANTONIO AUGUSTINO S. P. D.

Non facile dici potest quantopere delectatus sum luculentissimo tuarum lucubrationum munere jam absoluto; cujus memoriam apud me nulla delebit oblivio. Delectatus sum vero multis nominibus, & publicæ commoditatis, & existimationis tuæ, diligentiæque, cui omnes studiosi plurimum debebunt, & meæ (cur enim & ineptire tecum non liceat?) gloriæ, cui tantum favisti, ut operæ pretium sit editionem illam nostram sustineri, ne excitatæ de illa expectationi res ipsa non respondeat. Quis enim tot, & tanta in tuis libris ex florentinis pande-

ctis leget, quem non cupido incessat earum descriptionem pernoscendi? Quotus autem quisque cum perlegerit, quod tu non illustraveris, & explanaveris legisse se existimabit? ut interdum cessatio ipsa commodior futura videatur. Rursus fortuna ipsa, & rei difficultas adversari adhuc videri possunt. Habebamus enim Franciscum Priscianensem typographum romaniensem non ignobilem, qui officinam ad hoc ipsum huc translaturum se pollicebatur. At Ducis ad Cæsarem salutandum iter, mox turcarum classis incursus, item ipsius Ducis valetudo incommoda in causa fuerunt, ut ille aliis conditionibus rebus suis consulere sit coactus. Videri autem poterit de germano illo, quem scribis; verum qui fieri poterit, ut absente me, sub alienis oculis boni quicquam confici possit, cum in libellis tuis, tanta tui ipsius diligentia, peccatum sit tamen? Mihi quidem propositum erat non solum verba, & eorum contextum ac seriem, sed & litterarum figuram, ubicumque per apertissimos errores non impedirer, repræsentare, neque tamen non omnem lapidem moturus sum, ut tibi morem geram, fidemque tuam absolvam, nisi plane fortuna repugnaverit. Interea moræ non erit inutile compendium. Recognosco enim jam tertio digestorum libros, Francisco filio ex florentino códice recitante, me vero, si qua prius fugissent, reponente. Addam & dictionum, quæ

varietatem, aut obscuritatem recipiunt, explicationes; fortasse & quædam alia (nisi me occupationes transversum agant) non incommoda.

Metellum nostrum valetudinem recuperasse, firmareque, quod feliciter cesserit, gratissimum. Ansovini ratio jam hoc anno haberi non potest; quod & ipsi jam significavi. Opto Patavii floreat donec pisanum gymnasium ejus fiat capax. Neque tamen Alexandrino pernitiem illum ominari arbitror. Tibi venetam peregrinationem variis lectionibus levatam gaudeo, eo magis, quod otii quoque istius rationem aliquando tibi constaturam confido non sine publico compendio. Interea præ cæteris gratum fuerit, cum Romam feliciter proficiscaris, hac te, quod olim receperas, iter instituere; qua te pollicitatione decessurum non sine magna, & necessaria causa persuasum habeo. Dux noster jam valet, atque ad Podiocaianum vires colligit. Oram littoralem jamdudum præsidiis obtineri & etruscorum, & ligurum; classemque turcarum nondum statione decedere, postquam Niceam dimisit, compertum habere te existimo. Vale. Florentia IV Kal. Octob. MDXLIII.

XCVI.

LÆLIUS TAURELLUS
ANTONIO AUGUSTINO S. P. D.

Metellum nostrum hic pluviæ tenuerunt, cum autem in diem hic esset, cupiebam potius ipsum ferre ad te libellos tuos, quam committere illos incertis hominibus. Nunc autem cognito per tuas litteras XVI Kal. ad me scriptas maturato opus esse, mitto ad te quidquid apud me discedens reliquisti, quidquid etiam habui, quod in causa illustris sororis tuæ scriberem, quodque ad leges tuas notarem, in primo requires fortasse prudentiam meam, diligentiam certe non puto, in altero utramque. Sed tamen bis omnia scripta tua perlegi, minus indulgens, & plane criticus, quantum ad res ipsas attinere videbatur. Cupio autem, ut opus absolvas, & edas nobis. Cum autem absolvi me cupere opus dixi, non solum de legibus, verum etiam de senatus consultis me dixisse existimato; namque tu de utroque titulum adjecisti. Rem tuam in eo esse, ut absolvatur, & tuis, & Joannis Baptistæ litteris cognovi, pariterque summa voluptate mea Cardinalis sui adversus te animi significationem. Gratias quidem egi meis litteris, tum de Jane memoriam renovavi, ad Carolum quoque litteras dedi, Hercu-

lem moneri curavi; cooptari te jam valde cupio. Sed & spero fore tabellam jam in manibus, collegasque frequentes in nostram sententiam ituros. Avunculum Hispaniam attigisse sospitem accepi gaudens. Tu vale, & me ut soles ama. De pandectis alias scribam, aut Metellus exponet. Florentiæ IX Kal. Febr. MDXLIV.

XCVII.

Jucundissimas litteras tuas ad pridie Kalendas Junias signatas accepi, & statim adlatus est nuntius victoriæ eorum, qui Cæsaris auspiciis Insubriam tuentur adversus Pitilianos, & Strozienses in agro Dertonensi, & Noviano; in quibus ad III Nonas Junias dimicatum est. Neque alia scribam, quæ ad eam rem pertinent, cum Bononiæ notiora existimem, quam ut insistere oporteat: negotio, diis bene juvantibus, fruemur. Quæ romanenses homines opinentur de re nostra leges his Caroli nostri litteris, quas antea mittere ad te non admodum curavi, cum te vix adduci posse crederem, ut ob hanc causam Romæ esses, qui minime ambitiosus prælensator sis, & cum etiam Cæsareum legatum abesse scirem non solum ab Pontificis animo, sed Roma. Nunc tamen obiter litteras ipsas ut legeres, non extra rem duxi. Metellum hoc anni tempore Ro-

mam, & Neapolim parare iter, non ita valde probo. Scio enim ab his, qui experti sunt, cœlum urbium earum minime adventantibus opportunum esse, immo vero valde infestum; atque hominem ab ea opinione deducas velim, salutisque suæ rationis habendæ admoneas. Consilii tui super vitæ instituto probatorem me haberes, nisi ea opinione semper fuissem, ut Romæ esse omnibus omnium institutis præstet, hocque ipsum pulcherrima spe, gratissima consuetudine plenum, atque omnibus votis expetendum sit. De libris Alciati nuper editis nihil, nisi quod litteræ tuæ continent, cognovi, quod tamen ita sit, ut si omnes perlegissem non plura scirem, quæ ad opinionem meam de illis promendam pertinent. Vale, & Metellum nostrum, & Pontium salvere meis verbis jube. Florentiæ nonis Junii MDXLIV.

Litteras tuas ad Franciscum Toletanum Romam post eum misi.

Lælius Taurellus tuus.

XCVIII.

LÆLIUS TAURELLUS ANT. AUGUSTINO S.

Litteris tuis evangelia deberi fateor ejus nuntii, quo mirum in modum delectatus sum; te tan-

dem ad solemne istud sanctumque jusjurandum admissum esse: quo non tam tibi, quam ordini vestro, curiæque, quibus præclaris ingenii atque industriæ tuæ dotibus frui datum est, gratulemur; Justitiæ demum sanctitatique, quibus templum; oppressis vexatisque, quibus perfugium paratum est. Atque his interim gratulationibus contentus, ne nimis multis otium tuum interpellem, avidius ardentiusque constitutiones illas, item aliarum epitomen expecto, quam ut diutius desiderium tolerare posse videar, quod mihi excitaras. Quinque ludorum genera græcis vocabulis expressa jam dudum Ansovinus noster versat, neque nihil reperturus videtur: quidquid autem hic conjectari licebit, proximis tibi litteris curabo; ad Jacobum quoque fratrem scripsi, qui solebat nescio quid de alea in manibus habere. Franciscus filius, qui tibi salutem plurimam dicit, nullo sacerdotio auctus est; cui nescio quid delatum esset, Vincentius vocatur, si per potentissimos qui rerum potiuntur licuisset. Verum quid hac re futurum sit, in Dei manu positum. Carolus filius octo his jam diebus tertiana exercetur. Spero cito valetudine optima eum usurum, ita mihi hoc sero Medicus affirmavit hora XII, cum ad Carolum X scripsissem, illi tu hoc recentius dixeris meo nomine. Vale, & Metello nostro salutem plurimam. Florentiæ XI Julii MDXLV.

XCIX.

LÆL. TAURELLUS ANT. AUGUSTINO S. P. D.

Si tibi diuturni silentii rationem redditurus essem, fortasse conturbare me oporteret; neque enim adeo plena esset pagina negotiorum meorum, quin altera otii quoque nonnihil ostenderet, quo aliquid ad te litterarum dari potuisset. Præsertim cum multis titulis debitor essem; tum aliis innumeris, tum vero immortali munere constitutionum a te ornatus, cujus jucunditatem cotidie recentiorem experior, quam nec imminuet dies. Illas ego constitutiones non ante cinericios dies acceperam; proinde nec vacui temporis aliquid fuerat perlegendi. Paschales ferias expectantem morbus occupavit, rursus negotiosa tempora supervenerunt, atque adeo æstivas meridianas horas opperiri oportuit. Quibus tandem munere tuo perlecto, delectatus sum magis, an contristatus? Delectatus quidem mirum in modum, quod multa & docte, & eleganter, tuo scilicet more, nobis restituta sunt; sed non sine molestia tot jacturas in Republica factas agnovi ex multis constitutionibus, quæ adhuc in tenebris jacent. Fruamur tamen interim optimis laboribus istis; neque desperemus posse & aliquo numine juvari, ut & cætera alicunde eruantur. Sed ecce, &

altero munere beasti me jucundissimæ epistolæ, quam ad XVI Kalend. Sextilis scripsisti, non solum quod ex ejus summa cognoverim non pænitere te muneris istius christiani orbis dijudicandi, verum quod oblectet te extare cotidie operæ pretia forensis industriæ a gravissimis collegis, a more majorum, a disertissimis patronis, ab ipsis etiam vergantibus, Luci poris nimirum, & Seii poris, te adeuntibus, & sua thervatia, quæ appellare soletis, tibi ex tuis juris consultorum principumque monumentis repræsentantibus. Verebar sane initio, quam in partem molestias istas pragmaticorum, & causidicorum accepturus esses. Confidebam tamen industriæ tuæ, ac ingenio isti versatili (quod de M. Portio scribunt) fore ut natum ad id unum diceretur, quodcumque ageres. Macte igitur virtute tua, mi Augustine, tantum id cura, quod scribis valenter te hunc annum transegisse, præsenti animo, neque infirma valetudine, ut perpetuo facias; quod facile assequeris, si quod a victus sobrietate pro tua modestia semper facis, idem a laboris quoque, & studiorum mediocritate observes, neque nunquam oblectationibus quibusdam te recrees; reminiscere & ineptiarum quoque Publii Scipionis aliquando cum C. Lælio in calculis, & umbilicis littoralibus; nam valentiores deinde redimus ad obeunda munera, & diuturniori tempore perduramus; neque solæ

litterarum deliciæ recreant, immo & ipsæ spiritus fatigant, & exhauriunt, quamvis ad humaniora, & leviora studia te convertas: incurrunt enim cogitationes, & occupant animum, qui relaxandus est. Sed næ ego ineptus, qui monitorem induam ipso maxime indigens. Illud potius, didicisse me complura in legibus tuis, plurima autem superfuisse addiscenda, quæ properantem interpellatumque fugerunt. Amabo te, mi Augustine, aut cura libellum publice describi, & studiosis promulgari per impressores; aut mihi privatim usque ad legem Sejam, de qua sic ais *Seja*: *apud Ciceronem II de legibus vulgo scribunt*, a quo loco leges, & Senatus consulta integra habeo. Sed & vellem curari mihi abs te litteras ad Diacheum tuum super magistratu illo senensi pro Camillo genero. Nam quas misisti, ob Reipublicæ senensis perturbationes ad comitatum Cæsaris delatæ non fuerunt, illæ jam importunæ essent, consenescerentque, nunc eas ad te mitto reficiendas, si videbitur. Dux enim meus Oratori suo mandata dedit de negotio curando. Tu argumentum ex ipsis litteris in memoriam revocabis. Vale. Florentia pridie Kal. Sextilis MDXLVI.

C.

LÆL. TAURELLUS ANT. AUGUSTINO S. P. D.

Quæ super Camilli mei negotio principio scribis, ego quoque in deliberationem adhibueram, vel ab ipso Duce meo admonitus. Visum est tamen e re fore, ut Oratori ejus negotium permitteretur, qui in quamcumque occasionem præsto esset; atque ipse ita moderaretur, ut senensium res pertractari animadverteret; atque ita te litteras curare volebam, & quales, & ad quos tute arbitrabere. Quod cupis ex laurentianis libris aliqua expiscari ad tuas constitutiones pertinentia, equidem conabor. Vereor autem neminem me idoneum inventurum. Nam Æmilium nostrum (a) nescio quo fato amisimus; pænituit scilicet hominem angustorum (uti existimare videbatur) hujusce comitatus institutorum, haud perinde similium gallis illis: recessit ergo: neque mihi alius occurrit sic ab ingenio, a legum studiis, a rerum græcarum notitia paratus, ut id negotii sustinere possit. Videbo tamen; & si quid confieri poterit, habebis. Nam quod me aliquid ad eas constitutiones animadvertere jubes, qui præstare possum, nullis opibus instructus? Illud potius quod ad edictum composuisse significa-

(a) AEmilium Ferettum.

sti(a), ut perficias, nam opere in illo fortasse nonnihil judicii, cognitionisque nostræ esse poterit. Libens ibi consuetudinem meam tenebo, & quoniam ita velle soles, si quod opus erit, admonebo te, quo auctore non dubito nos omnibus legum nostrarum fontibus apertis, atque purgatis, ius tandem purius, & copiosius hausturos. Porro perge, mi Augustine, & quod tu non minus vere, quam bellè de ludorum quinque interpretatione scripseras, cornicum oculos confige, probe enim nostris hisce magistris juris ostendis, quanta ipsi non cognoverunt, qui cæteros se docere posse arbitrabantur. De judicandi munere qnæ scripsi, non ego ex litteris tuis interpretatus sum, sed ex animo adjeci; nunc etiam id auguror, immo & initio existimavi, fore ut & munere in isto methodum quamdam, & rationem aut novam invenias, aut per manns traditam expolias, qua litigatores non æternis controversiarum meandris absumantur, sed brevi explicent se, atque ad suum perveniant.

Pandectarum editio postquam Princeps alibi quam Florentiæ negavit, miro silentio transacta est. Quærebatnr tamen typographus, qui officinam hic instrneret, atque interim Gryphius per novos cotidie nuntios appellare me non desinit, quos omnes

(a) Opns Ant. Augustini ad perpetuum edictum, de quo et in fine epistolæ.

ego ad principem rejeci; inter quos Æmilius altero ab hinc mense accurate ipsum allocutus, responsum non tulit. Mecum quidem præclare agi videtur, ut in egregia opinione, quam de me tuis libris excitasti, conquiescam, nequaquam scilicet illi responsurus, si meo ductu libri illi ederentur; quos tamen alius nemo, præter te, aut Metellum nostrum, recte editurus videtur. Gaudeo tibi respirandi spatia non deesse, dum iis quas enumeras oblectationibus te recreas. Sed vereor ne studia ipsa litterarum ita te occupent, ut cæteris posthabitis totos dies in earum complexibus absumas; alioquin cur non aliquando Bembum, aut frequentius adires? quod tu erratum quidem appellas, ego autem non tantum ex eo, quod virum illum clarissimum non convenias, quantum, quod nunquam a litterarum studiis discedas erratum interpretor. Quo magis etiam, atque etiam vide, ne admonitionem meam, relatione potius, quam reipsa minus necessariam ostendere coneris, quod in accusationibus jura aspernari solent, ut relatione criminum, potius quam innocentia reus purgetur.

Victorius urget expolitionem librorum suorum in rhetorica Aristotelis, prima quaque die illos editurus. Æmilius notas in libros digestorum omnes emittere cogitabat, cum primum bibliothecam e Galliis reciperet; initium autem editionis a titulo de

legatis, cum omni legatorum tractatu: nescio an mutato postea vitæ instituto, atque in pulverem fortasse, & solem ex umbra, quam appetiisse videbatur, reversurus, sententiam mutarit. Metellus noster si mea scriptione implicitus est, discet cum de Cicerone dubitarit, Hypseum aliquem, aut Cn. Octavium consulere, qui de quo loquatur non intelligat, seque & alios implicet involvatque, unde explicare se nequeat; quod ego adhuc fecisse videor. Tu vale, atque illum meo nomine salvere jube. Florentiæ XIII Kalend. Septemb. MDXLVI.

His litteris datis subiit reputatio, num recte facturus videreris; si opusculum tuum ad perpetuum edictum Duci nostro inscriberes, ac nuncupares. Argumentum videretur opportunum vellendi aurem, ut pandectarum editionem cogitaret. Totum autem judicio tuo relinquo.

CI.

LÆL. TAURELLUS ANT. AUGUSTINO S. P. D.

Ego mei silentii nullas excusationes adfero; solum dicam, cor ipsum numquam siluisse, quin te adii, compellavi, allocutus sum cotidie, atque invicem audivi colloquentem, & dulcissima consuetudine tua identidem usus sum; quod autem negotiosissi-

mum obstropendo non interpellarim, in optimam partem abs te acceptum non dubito. Plurimi dies sunt, liber politicon, quem cum his litteris habuisse te existimo per Arnoldum nostrum, ad me directus est, ut ad te mitterem. Id ego scilicet non illico curavi, partim non idoneum certumqne hominem nactus, partim quod satis esse ducerem, si feriatis hisce a foro diebus eo fruereris. Laurentius typographus jam hic domum conducit, bombycinam chartam curat, cætera molitur, ut mense majo cum familia, & officina adfuturus. Tu valetudinem sedulo cum Metello nostro curato, quem ego plurimum salvere cupio, atque ambo, ut soletis, amate me. Florentiæ pridie Kal. Aprilis MDXLVII.

CII.

LÆL. TAURELLUS ANT. AUGUSTINO S. P. D.

Idibus cænanti mihi redditæ sunt litteræ tuæ pridie Kaleudas Sextil. quibus de Basilicis libris quatuor ad te nuper delatis, quodque operæ pretium hinc te facturum opinaris, significas: tum propterea cupere duos alios e bibliotheca laurentiana libros, aut eorum descriptum. Equidem eo ipso die cum rescribendum esset, id voluminis curare tibi non potui; faciam autem sedulo, & si quidem certum

hominem nactus fuero, qui recte perferat: sin autem sic habe, existimare me librarium hic reperiri vix posse qui describat. Videbo tamen, & proximis litteris significabo tibi, quid fieri possit; neque committam, ut qui nihil fere adjumenti ad Rempublicam ingenii virium imbecillitate adferam, opellis saltem his exhibendis non adjuvem labores tuos fæcundissimos, urbique, & orbi valde profuturos. Vale. Florentia Idibus Sextilis MDXLVII.

CIII.

LÆL. TAURELLUS JOANNI METELLO S. D.

Cum a te litteras legerem, quibus me de Salomonii principe appellas, dubitavi, num in hoc aere alieno necessario cessaturus (quod scilicet unde dissolverem per occupationes nondum parassem) alterius quoque nominis cessator fierem, atque adeo cum conturbassem, cederem foro, Sed tamen satius habui conniti qua facere possem; te sane sperans minus accerbum exactorem sic experiri. Ac sumpto in manus loco, quem tibi explicari jubes, hic vero minus solvendo mihi visus sum quam essem in principe, quantum tamen corradere potui dubitationes nostras tibi explicabo, potius quam absolvam quod cupis. Debitorem M. Tullii fuisse Dolabellam constat

libris ad Atticum pluribus locis: nam lib. XIII ait: *& Dolabellæ nomen jam expeditum videtur*. Et lib. XIV; *o hominem impudentem, Kal. Januarii debuit, adhuc non solvit*. Hoc scripsisse Ciceronem mense Majo apparet eodem libro ex epistola, quæ incipit: *e Pompejano*. Jam tum igitur præterierat dies solvendæ pecuniæ, quam Kal. Januarii Dolabella debuerat.

Quomodo igitur Atticus postea de Cicerone quæsierat, quo pacto acturus esset, cum dies venisset, dubitari potest: nam quod hæc, qua de agimus, posterior tempore fuerit, vel ex eo apparet, quod illis prioribus Octavii concionem expectare se ait, quam hoc loco se jam legisse significat, quod & lib. XV scribit. Hanc autem nostram videtur non multum ante idus Decembris postea secuti misisse; *nos*, inquit, *ejus voluntatem ante idus Decembris perspiciemus*. Aut ergo prorogatum diem solutionis dicemus, aut alium diem, quam solutionis Atticum expectasse. Prorogatum diem significare videtur Cicero lib. XIV. cum ait: *L. Antonii horribilis concio; Dolabellæ præclara: jam vel sibi habeat nummos, dummodo numeret Idibus*. Ita enim punctis distinguo scriptionem illam. Et par est, aliquot menses connivere voluisse Ciceronem, cum acta Dolabellæ in cœlum extulisset, contenderetque omni ingenio, ut persisteret in sententia; quod eodem

referri possunt; ac si diceret, si procuratores Dolabellæ in judicio non consistent, sed solvent, ne domino ignominiosum sit non solvi, quod satis dato debeat, id quod inferius ponitur. Huic autem sententiæ refragatur consensus codicum omnium: passim enim *procuratorem* legimus; neque eleganter pronomen *illi* ad procuratores referri videtur, quorum immediata præcedit mentio, nam *hi* potius dicendum fuisset: sponsores ergo rectius significant eo pronomine. Quare sive *procuratores* legamus, sive *procuratorem*, dubitamus, Ciceronis ne, an Dolabellæ? introduci equidem adversarium, ejusve procuratorem, aut partis adversæ quempiam, legisse non memini; aptius ergo Ciceronis procuratorem ad fidejussores appellandos introducere intelligemus. Quid autem, ut sponsores appellarentur, procuratore opus fuit? Non id quidem ut appellarentur, sed ne sponsores litem contestarentur. Quo facto, idest lite contestata, non sum, inquit, nescius sponsores liberari. Quibus ex verbis duplex difficultas existit. Quo pacto sponsores lite contestata liberandi essent: utrumque scilicet juri, quo utimur, omnino refragatur. Enim verò quod ad contestationem attinet, videri potest eo tempore, quo hæc M. Tullius scriberet, aliter habuisse, neque per procuratorem fieri potuisse. Nam pro Roscio Comædo sic ait: *quid interest inter eum, qui per se*

litigat, & qui cognitorem dat(a)? *Qui pro se litem contestatur, sibi soli petit, alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus*. Differre autem procuratorem a cognitore non dubitamus, quod Asconius declarat in divinatione. Similiter & sponsoribus liberandis, aliter tunc in usu fuisse credi potest, clarius quam ut cavillari possimus, id Tullio affirmante. Sed & Justinianus cum sanciat electione rem fidejussoris non liberari, significare videtur aliud olim jure viguisse. Jam quæ sequuntur clariora; permagni enim æstimabant veteres, quod satisdato deberetur æs alienum dissolvi. Cicero eodem libro: *quod satisdato debeo peto a te, ut ante provideas, planeque expedias, ut solutum relinquas*. Quapropter & Pomponius ait, id prius solutum censeri, quam quod sine satisdatione. Nec id mirum; fidejussores enim si solvissent, mandati actione debitorem ipsum petebant, qua damnatum comitatur infamia. Quod Ulpianus scribit, & M. Tullius tractat eadem oratione, propterea turpitudinis hic & ignominiæ mentionem facit.

Cum autem hæc scriberem, supervenit Æmilius Ferretus vir doctissimus, & humanissimus, quem prius ego tibi rescripturus hac ipsa de re compellaram, dixitque se ita accipere solere, ut quamvis

---

(a) In editis: *qui cognitor est datur*.

sponsores appellentur procuratores Dolabellæ introduci possint, qui debitum dissoluturi existimabantur, & propterea litem non contestaturi. Quo facto, idest lite non contestata, atque adeo pecunia soluta, non sum nescius ait Cicero fidejussores liberari. Hanc conjecturam futuræ solutionis adjuvant quæ sequuntur, sed & illi turpe arbitror procuratores ejus non dissolvere. Mihi unde scrupulus injiceretur, partim supra explicavi, partim fit in illis verbis *quo facto* litem non contestandam, hoc est non factum signari, quæ impropria locutio videri potest. Nam in cœteris *sed & illi turpe arbitror procuratores ejus non dissolvere*, non magis adjuvant conjecturam solutionis introductis procuratoribus faciendæ, quam nec introductis. Multum tamen Æmilio meo tribuo. Tu quam voles sententiam tueberis, nec tamen sine Theseo, idest Antonio Augustino, quem tibi tela, quibus hæc monstra conficias, suppeditaturum non dubito. Vale. Florentie VII. Id. Februar. MDXLV.

CIV.

PETRUS VICTORIUS ANTONIO AUGUSTINO S.

Venit tandem in manus meas valde illud quidem optatum, & a me diu frustra expectatum volumen

M. Tullii Philippicarum, quod Faernus noster magno adhibito studio emendavit. Inveni autem illic multa auxilio antiqui illius libri, quem nactus est, fideliter restituta, non pauca etiam judicio ipsius, quo plurimum valuit, conjecturaque correcta. In quibus etiam admodum delectatus sum probitate hominis, qui contra consuetudinem multorum, si quid unquam tangit ingenio alieno excogitatum, sincere id narrat, admirabilique in hoc utitur animi simplicitate. Incidi ergo in locos plures, quod indicio ipsius cognovi, cura, acumineque tuo illustratos, & ab omni prorsus macula purgatos. Tu enim quemadmodum gravioribus studiis egregiam operam navasti, ita etiam humaniores litteras industria sedulitateque tua plurimum expolisti. In quo sane merito multum tibi debent studiosi earum, qui nullum unquam laborem fugeris, ut ipsas ornares, & integriores formosioresque undique redderes.

In aliis autem pluribus locis, in quibus se a te adjutum ingenue fatetur Faernus, est ille in extrema fere II. Philippica, qui prius in excusis omnibus libris maculosus erat. Cum ergo ipse vetustissimi illius sui libri, quem sequitur, lectionem indicasset, & ipsam profecto valde depravatam, opinionis tuæ statim mentionem fecit, a qua sane se alienum non esse ostendit. Ego quoque mirifice illam probo, nisi quod voluissem te posteriore, quam re-

stituis, voce contentum, priore illa, quæ apposita ipsi est, supersedisse, & hoc profecto melius veriusque esse existimassem, ut ita totus locus legeretur. Confer cum hac nundinatione tua tuorumque: ita enim litteræ numero fere pares sunt, ut ex primoribus corruptæ illius lectionis elementis fiat *nundi*, ex iis autem, quæ sequuntur, prima tantum littera immutata, reliquum eius vocis confletur. Nam si ex illis facimus immani, desideratur, unde possimus, quasi fabricare antecedentem partem consequentis nominis. Cum etiam pluribus locis M, Cicero hoc verbo utatur, ut contra P. Rullum, & in C. Verrem nunquam; quod recorder, aliquid, ipsi adjungit.

Præterea magis mihi videtur significari, quod certe orator facere voluit, ac locus ille requirit, avaritia, turpitudoque Antonii, si declaratum non fuerit, magnam pecuniam ex ratione illa confici posse. Nam summa sine dubio grandis immensaque erat, sed ex multis minutisque venditionibus coacta. Quare arguebat animum tenuem sordidumque. Quanto enim majorem singillatim quæstum illum fuisse audimus, tanto minor fit (nisi fallor) in animis nostris fœditas illius facti, majoreque venia dignus esse videtur M. Antonius, qui cum fines recti migrare statuisset, non levi de causa improbus injustusque fuerit. Sed hæc ipsa quoque, de quibus

suum nunc ago, minuta pusillaque sunt; nec tamen omnino in tanto scriptore negligenda. Ego autem potius hanc occasionem ad te scribendi arripui, quem suspicio, atque omni honore dignum judico, quam quod existimaverim, hanc idoneam causam fuisse conficiendæ epistolæ. Præsertim cum tu in multo majoribus rebus isthic nunc occupatus sis, quæ utinam faustum felicemque exitum habeant. Vale, ac me, ut semper fecisti, ob eximiam humanitatem tuam ama. Florentia MDXLIII.

CV.

ANTONIUS AUGUSTINUS PETRO VICTORIO S.

Libenter legi litteras tuas, quibus me de Faerni nostri in Philippicas Ciceronis emendatione, atque observatione, ac de tuo judicio in eo studio certiorem facis, Multum quidem certe amisimus, dum tam candidum ingenium, tam simplex pectus, tam multas in restituendis veterum scriptorum libris optime collocatas lucubrationes perdidimus; sed tuum erit hanc tantam jacturam tuis elegantissimis libris sarcire. Demetrium tuum admiratus sum, quamvis eum nondum totum perlegerim. Expecto alia non minora, quando te nec in urbe nec foris cessare unquam scio.

De Tullianis verbis CONFER CUM HAC NUNDINATIONE TUA id solum dicam, me principio ita mutasse excepta dictione HAC; cum Faernus nondum veterem scripturam ad me detulisset, sed cum vidissem illic HAC INMANVMLATIONE, retinere volui antiqui libri primas syllabas, & ultimas illius, & cœterorum, itaque scribendum esse putavi HAC IMMANINVNDINATIONE. Quod quamvis Cicero alibi non usurpet, satis est si non ab ejus dictione alienum sit, & proximis verbis, atque sententiæ sit accommodatum. Utitur Cicero, ni fallor, & immani pecunia, & immani præda & immanibus poculis, pro magnis. Nec quod plures litteræ addantur, est quod te moveat ut id reiicias; nam sæpe similes litteræ vel syllabæ vel desunt, vel duplicantur; & est facilis error hic INMANVM pro INMANINVM, & hic NVMLATIONE pro NVNDINATIONE, aut finge NVNDATIONE aliquem scripsisse, num male faceret, qui NVNDINATIONE mutaret? Accedit, quod in aliis libris est conscriptum NVMMATIONE, vel NVMERATIONE, vel NVNTIATIONE. Hæc in scriptura secutus sum.

De sententia autem malo cum veteri libro, quam tecum consentire, utcumque sit a te ingeniose ratio excogitata; neque enim ideo immanis nundinatio dicitur, quod magna inde pecunia quæreretur, sed quod multi essent in ea occupati, & magnus

esset ementium numerus, & magna esset consulis turpitudo, qui domi suæ nundinas non quaslibet, sed frequentes celebraret. Sed tu hæc melius dijudicabis. Est hic doctissimus quidam antistes, cuius nomen postea scies, qui me admonuit de iis locis tuarum lectionum variarum, quæ separatim conscripta sunt. Tu poteris ea recognoscere, & admonitionem hanc boni consulere. Lælium nostrum Taurellium jube salvere, & vale. X. Kal. Sep. MDXLIII.

CVI.

ARNALDUS ARLENIUS ANT. AUGUSTINO

Cum jam satis dudum nihil litterarum ad te dederim, AUGUSTINE clariss. officii mei ratio postulare videbatur, ut hoc tempore longiorem mihi usurpandam scriptionem putarem, sed cum is, qui has adfert, coram omnia, & melius, & copiosius de statu rerum mearum relaturus sit, quam vel ego scribendo consequi possim, vel temporis angustia patitur, nolui esse longior, præsertim cum & is ipse multarum mihi litterarum instar apud te esse poterit. Hunc tibi quantum possum, & meretur hominis probitas, commendo. Homo mihi visus tum integer, tum litteratus, quem tibi etiam cognitum existimo; nomen ei Joannes Metellus Sequanus; ne

quid tamen in jam passim receptas formulas peccarem, malui rejectis philosophorum placitis, notiora per ea quæ minus cognita sunt assumere, ac usurpare, quam alicui debito defuisse officio videri. Sed jam tempus est, ut ipsum aliquando hominem amplexeris, & de multis variisque rebus percuncteris. Vale. Florentiæ Nono Kal. Aprilis MDXLV.

CVII.

ARN. ARLENIUS ANT. AUGUSTINO S. P. D.

Superiore mense Octobri cum Florentiam iter instituissem nihil magis exoptandum mihi proposui, quam Bononiæ vel jucundissimo tuo frui colloquio, vel lætum & uberem in susceptis jamdudum per te studiis progressum recognoscere. Verum cum peropportunus, & felix, ni fallor, casus alio te vocaverit, & ad amplissimas dignitates viam jam tibi quasi muniverit, debeo sane & ego (si quidem πάντα τῶν φίλων κοινὰ) in tam claro, tuisque tum studiis tum virtutibus dignissimo honore acquiescere. Unum tamen vereor, ne quod passim fieri solet, suavitate, & magnitudine quadam in speciem vel amplitudinis, vel gradus tantam ingenii facultatem alio convertas, quam in usus litterarum, & litteratorum hominum, ac in tua illa ratione mi-

nus libertatem pristinam tuearis; quod quidem eo confidentius ad te scribo, quo te amo ardentius. Perge, quæso, bonas litteras, artes, philosophiam divinam & humanam, fovere, ac aliis prodesse, nec interim te ipsum aut negligere, aut tibi ipsi obesse. Metelli nostri consuetudine Florentiæ dies aliquot usus sum, vel insignis hominis facilitate abusus verius. Quod si istic fuerit salutabis meo nomine amantissime; mirifice hominem propter ingenii præstantiam, & animi constantiam diligo. Vale, ac ita in tuis negotiis totus sis velim, ut Arnoldo tuo dimidiam horam in scribendo des. Venetiis quinto decimo Kal. Jan.

CVIII.

Redditæ quidem mihi fuerunt priores litteræ tuæ, sed eo tempore, quo eram occupatissimus. Scis enim in studiorum auspiciis mihi, qui nuper in hanc civitatem veneram, quot impedimenta potuerint suboriri, ne otiosus essem, sed & nihil tunc habebam, quod operæ pretium esset, ut tibi significarem; parces itaque mihi si paulo negligentior visus sim; nam nec Metellum ipsum deinde vidi, nec satis scio, an hic sit. Ceterum quod posterioribus litteris petis, ut te conditionis meæ faciam certiorem, id habeto, convenisse me hic in biennium,

verum ejus esse sententiæ, ut usque & usque hic morer, tantumque Duci Ferrariensi deserviam, quantum ipse voluerit. Tœdet me, ut verum tibi fatear, tam frequentis mutationis; etsi enim coactus præceptis cæsareis Bononia relicta Ticinum adierim, deinde bellorum tempestatibus compulsus huc venerim, erunt tamen, qui me ceu vagum, & erronem inconstantiæ arguent; nec enim omnes sciunt migrationis causas. Decrevi itaque hic sedem figere, quatenus tamen Duci ipsi visum fuerit. Nam & si Præfectis nostri gymnasii sedisset, ut istic profiterer, cum res integra erat, me haberetis; verum eis placuit potius ad Socinum properare, quod ego in bonam partem accipio; optoque, ut quidquid egerint ex eorum sententia succedat; unum hoc deprecor, ne quicquam mihi imputent. Quod de Pisana academia scribis jam sciebam, alloquutus me est Cortus nuntius idem amicus meus ex Florentia; cui respondi, plurimi quidem me facere optimam ducis Cosmi opinionem, ceterum mutationem me nullam facturum, donec Dux Hercules opera mea uti voluerit. Vale, & quod facis me ama. Ferrariæ X Kal. Jan. MDXLII.

Andreas Alciatus J. C.
tuus, si unquam, Amicus.

CIX.

ANTONIUS AUGUSTINUS LATINO LATINIO S.

Non libenter legi, quod iis litteris, quas postridie Nonas Julias dedisti, scriptum est, te cogi rerum tuarum angustiis in patria potius, quam in urbe vitam agere. Nunquam putaram in Pii pontificatu, in quo omnes docti, probique viri plurimum posse putantur, tibi non solum aditus ad honores interclusos esse, sed ne de victu quidem, & conditione solita spem, urgente præsertim doctissimo Sirletio Cardinali, aliquam esse. Id unum me consolatur, quod te tibi non defuturum esse, certo scio, quodque tu tibi ipsi præstare poteris, constantiam, inquam animi, & tranquillitatem adhibiturum. Quæ de Grucchii, & Sigonii contentione de binis comitiis scribis nondum legi, scire cupio quid sit, quidque tu, & Octavius noster de ea re sentiatis. Scaligeri in Varronis de lingua latina notas legi, non ineruditas quidem, sed multis in rebus quæ minus certa sunt pro certis affirmat. Vale, & nos ut soles, ama. Ilerda VII. Sextiles 1566.

CX.

ANT. AUGUSTINUS HIERONYMO FRATRI (a)

Non sum nescius, Hieronyme Frater, cum hic liber ad tuas manus pervenerit, miraturum te quid sit, quod hoc tempore, quo tam multis doctorum virorum ingeniis jus civile traditum sit, quasi rem ab illis aut prætermissam, aut imperfecte explicatam, de legibus ipsius, Senatusve consultis, quæ nostræ disciplinæ fundamenta sunt, nunc tandem perscribere fuerit necesse. Id autem ipsum cur ad te potius, qui nunquam fueris nostris libris legendis occupatus, quam ad eos, qui juris prudentiæ sacris initiati, quantum auxilii queat hoc libello juris studiosis præstari, indicare facile possint. Ac mihi quidem neque aliorum laboribus invidere, neque quemquam intempestive interpellare ingenui hominis esse videtur. Sed accidit tamen nescio quomodo, ut ad hæc ipsa conscribenda nihil minus cogitantes accederemus. Nam cum ante aliquot annos juris nostri civilis non mediocrem cognitionem ex variis variarum rerum scriptoribus colligi posse putarem, subcisivis quibusdam horis, ut ajunt, eorum libros versavi potius, quam legi; qui mihi ad vete-

(a) Edita est tom. VII edit. lucensis p. 188.

rum aut legum, aut temporum cognitionem satis esse videbantur. In his cum hæc ipsa jura, quæ in Justiniani libris referuntur, quæ tamen nonnunquam diligentius explicata sunt; tum alia permulta eisdem libris vel abrogata, vel omissa, vel in alia nomina commutata animadvertimus. Quibus colligendis, aut declarandis, si veterum Jurisconsultorum libri omnes extarent, non laborassemus. Ut enim in hac ipsa urbe ex dirutis magnorum ædificiorum parietinis, quantum Urbs hæc cæteris omnibus præstiterit, cognoscimus: ita ex brevibus & mutilis Jurisconsultorum sententiis, quæ ab Justiniano collectæ, aut ab aliis conservatæ sunt, nihil fuisse, quod in eorum libris desideraretur, credendum est. Sed cum in cæterorum juris interpretum voluminibus, sive eorum temporum tenebris, sive artis tradendæ ignoratione, præter verborum accuratam interpretationem, temporum quoque antiquitatem neglectam esse doleamus; his autem recentibus, quibus verborum elegantia restituta est, non satis hæc pars illustrata esse videatur, collegeram aliquando omnium legum, quæ usquam legissem, nomina, quibus diem, & consules, & verba, si quæ extarent, si minus earum sententiam addebam, neque usus, si quem aut hodie haberent, aut quoquam ex tempore habere desiissent, negligebatur. Et quoniam id ipsum non neminem fuisse aggressum vi-

dissem, &, ut fit, qualicumque aliorum labore mallem frui, quam minus necessario studio in eisdem rebus versari; decipi tamen permultos animadverti tum in aliis legibus, tum etiam in XII illis tabulis, quæ jure fons, atque initium nostri juris appellantur. Itaque cum hæc nostra simpliciora, & pleniora quibusdam esse viderentur (dederam enim operam, ut quoad ejus facere possem, nihil relinquerem, & ut in his omnibus, quæ collegissem, fontes indicarem, unde emanassent), nihil jurisstudiosis, & nostræ observationis cupidis amicis negandum esse existimavi. Ad te autem, Hieronyme frater, hic qualiscumque nostrorum studiorum fructus mittitur, cui jamdiu debetur; tum quod semper te mei, item historiæ, antiquitatisque amatorem fuisse cognoverim; tum quod in hac legum, ac Senatus consultorum collectione pauca admodum sunt, quæ te possint, quasi e nostræ disciplinæ penetralibus eruta, a legendo deterrere. Ita enim a me quæ juris civilis sunt conscribuntur, ut nihil pene omiserim, quamvis vulgare, & cognitum, quod apertiorem, & planiorem viam ad ipsarum rerum cognitionem efficeret: ita cetera tradimus, quæ ex veteribus legibus, librisque sumuntur, ut sine illorum librorum lectione ex his ipsis verbis, quæ referimus, nihil non recte intelligi queat. Qua in re erunt fortasse, qui nos nimios esse di-

cant alienarum sententiarum sectatores; contra alii parcos appellabunt, quippe cum permulta repererint, quæ aut neglecta, aut incognita nobis fuerunt. Sed utrique velim animadvertant, id mihi initio consilii fuisse, ut nihil fucatum, ac fallax, sed quod apud varios variarum rerum, ut dixi, scriptores inveneram, memoriæ mandarem. Neque vero tum omnia aut potuissem, aut debuissem excerpere. Fugerunt enim, opinor, me non pauca alias res agentem, multa hoc ipsum agentem deceperunt; cur enim hoc non fatear, quod & mihi, & aliis sæpe accidisse scio? dedita vero opera quædam omisi, quæ aut ex libris nullius fidei, atque auctoritatis colligere potui, aut plus æquo grandiorem hunc libellum efficerent, neque satis necessaria esse putaveram; sive quod ea satis nota fore per se crederem, sive quod his, quæ scripseram, essent consentanea. Quod si quis est, qui ordinem quoque nostrum minus probet, quo nos bonorum librorum lectoribus consuluimus, ut cum in legis nomen inciderent, quid ea contineretur, reperire facile possent: si quis inqnam, est, cui hic litterarum ordo displiceat, & malit ordinem temporum seqni, quod nobis difficilius in multis legibus visum est, quominus in eum modum hæc nostra, aut a nobis omissa tradantur, non repugno.

Te vero, carissime frater, atque optime, accusaturum esse existimo animi mei constantiam, & fir-

mitatem, quam non nemo duritiem, vel stuporem potius esse putarit; ut cum mihi non parva negotiorum moles impendeat, in his levioribus rebus, tanquam in visco inhærescam. Sed tamen eadem ipsa negotia me ad has leges edendas ante tempus movent: quas etsi non intra trinundinum diem, intra nonum tamen annum dicam, an mensem, proferimus, ut liberiore deinceps animo toti in nostro onere sustinendo consistamus. Reliquimus autem & novellarum, & juris pontificii exornationem nescio quam inchoatam, quæ, si quando mihi otioso esse licebit, absolvetur. Sed jam ad ipsas leges veniamus, quas omnes constat Populum Romanum tulisse ab initio urbis ad Tiberii Cæsaris imperium. Senatus vero consulta, quæ Placentini, & Rofredi doctorum virorum diligentiam secuti collegimus, magna ex parte post Tiberium facta sunt. Non quod non permulta alia & populus, & Senatus decreverit; sed quod hæc ipsa sint nominibus suis notiora; quorum omnium cognitio non juris solum consultis, sed pene dixerim omnibus latinæ linguæ scriptoribus lumen allatura esse videatur.

CXI.

A. AUGUSTINUS LAURENTIO SURIO S. D.

Quamvis nos longo terrarum intervallo abesse fecerit natura, charitas tamen Christi, & ejusdem verus amor, atque studium, ut multis prodesse possimus, tenaci nos vinculo adstringit quasi ejusdem patriæ cœlestis cives, in quam tendere undique nos oportet, si recte sapere velimus. Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ V. Idus Martias datæ, in quibus mihi animi tui desiderium exponis in edendis a Calenio tuo græcis, & latinis conciliis, tam quæ apud me sunt, quam quæ, ut arbitraris, apud Toletanum Antistitem, ut ad te delatum fuerat; in eoque totus es, ut latinam editionem amico huic tuo deferamus, græcam Rovillio. Interpellavit me quidem ante aliquot annos Rovillius, ut ei aliquid, quod aptum esset, vel juris civilis, vel juris pontificii editioni, quam parabat, mitterem. Respondi quod visum est, moxque eum majora ut cogitaret admonui, eique narravi totum hoc de edendis græcis latinisque conciliis consilium. Me illi subministraturum tot librorum volumina, ut octo facile fierent, aut fortasse plura, auxiliumque pecuniarium adieci, & spem habere, vel ecclesiam Toletanam, vel Regem nostrum Catholicum, vel Ro-

manum Pontificem tanto, talique auxilio futuros. Rescripsit ille, valde placere argumentum operis; sed opus esse majori sumptu, quam quod ipse præstare posset; præsertim cum careret græcis figurarum notis, & ministris idoneis, qui græca scirent; tamen cum amicis collaturum rem tantam, & mihi responsurum. Post aliquod tempus iterum scripsit habere, qui concilia edere vellent, præsertim latina; græca quoque edituros, si haberent prædictos apud se libros, quos tuto ad eum mittere possem. Respondi, me nolle in periculum certum committere libros ob incertum editionis; quia tamen multi forent, quis esset plus minusve paginarum græcarum numerus, ex latinis perspici posset. Quid enim, inquam, opus est inspicere quartam, quintam, sextam, & septimam synodum græcam, si totidem verbis latine extent, inter quas non erit viginti paginarum differentia? His litteris rescripsit, sibi valde difficilem editionem videri, in qua tot essent græce edenda. Iterum a Francisco Turriano, qui Romæ habitat, unus ex societate nominis Jesu doctus, & pius vir, interpellatus sum, ut coloniensem istam tuam editionem juvarem. Dixi me libenter & libros daturum, & pecuniam erogaturum, & curaturum, ut nobilis quidem, & doctus vir Garsias Loaisa, archidiaconus, & canonicus toletanus, quem multa ex veteribus libris toletanæ ecclesiæ

habere sciebam, quibus hæc fierent auctiora, idem faceret. De Rovillio quoque dixi me cogitare futurum editionis socium; ita enim poteram ex illius litteris mihi polliceri.

Hæc ad te fuerunt, ut video, aliqua ex parte delata, aliqua minus vere conscripta, cujusmodi sunt, quæ de toletano antistite scribis pro canonico toletano. Sic etiam de Rovillio habe, me cum illo nihil aliud transegisse, & Calenio posse totum negotium committere. Moleste autem in litteris tuis legi, carere vos etiam isthic græcis typis, quibus in ea editione esset utendum, quod si sic indigetis, petatis aliunde, sive ex Belgio, sive ex Gallia, sive Venetiis. Occurrendum est in arduis rebus omni difficultati. Quod vero adhortaris me, ut mittam libros inspiciendos Calenio, idem responsum putes quod supra dixi me Rovillio respondisse, eo etiam magis, cum vos longius absitis quam Rovillius, & hinc Lugdunum multis mercatoribus trita soleret esse via ante hæc Gallorum bella intestina, sive civilia nuper lutheranorum factionibus orta; at Coloniam, qua mittam libros, vel quibus dem, non habeo. Venetias tamen cogito, cum de cæteris inter nos conveniet, eos mittere.

De Garsiæ Toletani libris nihil polliceor, nisi prius ejus animum tentavero. Audio eum exemplum quoddam Romano Pontifici describendum curare.

Id perfeceritne, an miserit, an imperfectum reliquerit, mihi incertum est, sed suspicor opus urgere suum. Fingamus illum consentire nobiscum; nihil ab eo græcum habebimus, latina pauca, nunquam edita Concilia Toletana, & Emeritense quoddam, cujus exemplum misit; habebimus etiam verum Isidori proœmium, cujus exemplum ad me misit ante biennium: nihil habet insumptum ex Epistolis Romanorum Pontificum ante Damasum Pontificem; Damasi autem habet unam, atque alteram Epistolam; nihil post Gregorium Juniorem; cætera dicit se invenisse emendatiora in veteribus libris, quam in editis; & quod pace tua, mi Laurenti, dictum sit, Surianam editionem conciliorum semper fere magis mendosam esse affirmat, quam reliquas. Non dissimilis querela de te Romæ est, deque tua Caleniana editione conciliorum inter eos, qui Gratianum mendis expurgare conantur, ut ab uno atque altero per litteras cognovi. Nos quoque invenimus quædam, quæ in aliis editionibus melius conscripta fuerant mutata, in ea præsertim collectione, quæ posita est post lateranense concilium Alexandri III. quod in notis ad antiquas Collectiones Decretalium necesse mihi fuit sigillatim enumerare. Hæc tamen me non moverint, quominus, te auctore, vel duce, vel comite, Calenio tuo utar.

Sed age, dispiciamus quid primum aggrediamur. Tu nihil mutandum ex editis censes, sed addenda alia, quæ nova sunt. Addis eam rationem, quam non rejicio, ne duplici sumptui cogantur singuli se subjicere. Erit igitur tua editio emendanda singulis verbis, & in singulis litteris sæpius morandum, quod si sæpius acciderit, lector deterrebitur, & molestum esse arbitrabitur, nosque pro conciliis scholia conciliorum edemus, quod minime desideramus. Quid quod sæpe eveniet, ut ejusdem capitis veteribus unam atque aliam editionem novam addere velimus. Si omnes in conspectu simul offerantur, adjuvabunt magis; si separentur, ut prætermissa a messoribus, minus placebunt. Græca autem me auctore in eamdem paginam cum latinis conjuncta doctum lectorem, aut studiosum, mirum in modum juvabunt, rejecta minus utilia erunt; sed in hoc me vinci patiar, & dabo aliquid librariorum commodo.

De his autem singulis, quæ in primo volumine aut edita sunt, aut edi posse mihi videntur, sic habeto. Principio Isidori prologus videtur esse necessarius, isque duplex; omnes enim veteres conciliorum collectiones habent eum prologum, ejusque mentio fit, atque adeo pars refertur ab Ivone Carnotensi, & a Gratiano in Decretis. Duplicem esse prologum facile ex ejus lectione apparebit, qui tam

in veteribus toletanæ bibliothecæ libris, quam in aliis regiæ bibliothecæ Philippi Regis Catholici legitur, si eum contuleris cum edito in aliis collectionibus conciliorum. Nam quamvis initio utriusque ponantur verba Isidori Hispalensis; sumpta ex libris Etymologiarum, mox sunt aperte contrariæ sententiæ, cum in altero canones Apostolorum laudentur, in altero reprehendantur. Sic etiam de aliis Nicænæ Synodi capitibus præter græcos canones viginti, nihil in veteri prologo est; sunt quædam in edito ad extremum adjecta, quæ etiam hanc eandem differentiam constituunt. Postremo, quod in veteri nulla mentio est veterum Clementis, Anacleti, & aliorum sanctissimorum Patrum Constitutionum, quarum mentionem fieri videmus in edito prologo. Quamobrem illud quoque deprehendi facile potest, duplicem fuisse olim conciliorum, & pontificiarum epistolarum collectionem, in quarum altera Apostolorum canones nulli essent, omnesque ante Damasum Epistolæ Pontificum desiderarentur, nihilque diceretur de illis canonibus nicænis ex Julii epistola ad orientis Episcopos; in altera hæc omnia essent concsripta. Caruisse enim plerosque veteres scriptores illis epistolis, aperta res est. Huc accedit quod de corpore canonum dicitur a Nicolao, & Leone IV. apud Gratianum Distinct. 19 & 20: fuisse enim constat aliquando apud latinos eum li-

brum, cujus exemplum Moguntiæ editum est ante annos quinquaginta, sine hoc vero titulo *Corporis Canonum*. Est tamen hæc differentia inter corpus canonum, & collectionem toletanam conciliorum, quod in altero sunt Apostolorum canones L. in altera nulli sunt. Hæc mihi necessaria visa sunt, ut ostenderem, necessariam esse utriusque prologi mentionem, & rem hanc lectoribus cognitam efficere, ut simul agnoscant has duplices collectiones conjunctim proponi.

Sequitur historia majorum conciliorum ex Photio, cujus ego habeo græca verba, quæ cum edentur ostendent latinum interpretem multa ineptissime convertisse. Ego tamen ex aliis libris conciliorum omnium historiam, ac tempora collegi, quæ cum edenda putavero, mittam, nec præteribo versiculos illos qualescumque Pselli de Synodis, aliosque non meliores latinos ex veteribus libris. Tertio loco de Clementis apostolicis constitutionibus agendum est; sed non displicet, ut post utrumque Isidori prologum collocentur epistolæ duæ Aurelii Carthaginensis ad Damasum, & Damasi ad Aurelium, quibus mentio fieri videtur alicujus antiquæ collectionis conciliorum, & epistolarum pontificiarum. Quas epistolas, quando ita reperiantur in Isidori Mercatoris, sive Peccatoris collectione, non esse omittendas censeo.

Ad Clementis librum illum redeo, unde fons emanat canonum Apostolorum: edi græce oportere existimo, ut cætera omnia, quorum fontes græci sunt. Editus est græce liber opera, & studio Francisci Turriani, qui etiam rogatus dabit versionem latinam, non minus elegantem, quam ea, quæ edita est a Carolo Bovio, multaque notavit plura, quæ ad illustrationem ejus operis sunt accommodata. Sed quia canones Apostolorum illic alia ratione numerantur, quam in græcis aliis latinisque libris, post Clementis constitutiones iterum canones 85 græci Apostolorum collocentur, ut in Joannis Tilii editione, quam ego cæteris præfero, addantur canones L. latini, quorum interpres Dionysius Exiguus. Ejus verba, sive præfationem ad Stephanum Episcopum initio collocemus, quam ex vaticano libro descripsimus. Nos etiam latinum librum canonum Romæ habuimus annorum plus minus 800, ejus libri variam ab editis scripturam notavimus. Græcum item Tilianæ editionis codicem cum veteri veneto libro collatum a docto viro Nicolao Sophiano habemus; ejus etiam varias lectiones mittere possumus. Accedet locorum juris pontificii significatio valde diligens in omnibus conciliorum voluminibus; sexcentis enim mendis deprehendimus singula volumina esse mendosa, multa desiderari, quæ addemus, multa tollemus male collocata. Ex Burchardo,

etiam et Ivone aliqua, quæ neque apud Gratianum sunt, neque in Decretalibus, notabimus.

Redeo ad ea, quæ ordine collocanda censueram post Constitutiones Apostolorum Clementis. Apte autem sequentur ejusdem Clementis Epistolæ. Solet tamen a quibusdam addi de variis Apostolorum conciliis; id, quia ex sacris libris tantum sumunt, omittamus censeo, noster enim labor ad ea, quæ post sacros libros acta sunt, refertur. Addi etiam solent de primatu Romanæ Ecclesiæ loci aliquot communes. Id sumitur ex illo moguntino corpore canonum, non quod pars sit ejus corporis, sed quasi corollarium a Joanne Valdembrino adjectum est. Joannis autem verba separanda sunt ab aliis ex veteribus libris accepta, eorum initium est: *sufficerent quidem ista*, &c. Hujus libelli nullam haberem rationem nisi nostrorum temporum calamitas cogeret nihil omittere hujus argumenti, in quo cardo fere nostrarum controversiarum vertitur; habeo autem antiquum ejusdem libelli exemplum scriptum ante annos 200.

Ante Epistolas Clementis, Damasi pontificalis initium scribi placet, & Petri, Lini, Cleti, atque Clementis vitas lectoribus ostendi, nihil enim latinis litteris certius habemus in pontificum historia; hujus etiam libri habui aliquando vetus exemplum; & cum eo singulas omnium pontificum vitas contu-

li, varias lectiones mittere possum. De Clementis epistolis dicendum est eam desiderari quæ a Beato Hieronymo laudatur; eas extare, quæ a Ruffino, parum fido interprete, versæ dicuntur; esse etiam qnasdam partes sumptas ex libris Recognitionum, negare non possumus. Has, & cæteras, quæ sequuntur, inveniri in collectione Isidori Peccatoris certnm est. In his usque ad Cornelii epistolas pauca notavimus tantum in vitis pontificum a Damaso conscriptis: Varias quasdam lectiones in ipsis epistolis, quarum partes referuntur a Burchardo, Ivone, & Gratiano, & aliis scriptoribus. Cornelii epistolas veras, ac certas, quibus nihil objici possit, habemus ex Cypriani libris. Alia quædam ab eodem Cypriano mutuari oportet, & lectoribus proponere, ut statnm Romanæ Ecclesiæ partim a gentibus, partim a Novato, & aliis schismaticis, atque hæreticis divexatum agnoscant.

Illam autem pseudo synodum Beati Martyris Cypriani, quæ cogit baptizare hæreticos pœnitentes, habeo etiam græcam; sed ut verum fatear, neque græcam, neque latinam usquam extare maluissem. In ea tamen accepi, Novatum, & alios hæreticos damnatos; quæ pars sola obtinuit vim suam. Fuerunt aliæ Synodi adversus Novatum, item de Paschate, necnon adversus Paulum, et Simonem Coriarium, et alios hæreticos, quas nos in Historia

Conciliorum collegimus. De Antiochena adversus Paullum, certum est quod scriptum invenimus; aliam esse, atque eam, quorum Canones extant, hæc enim posterior fuit Nicæna Synodo, illa multo antiquior, sub Aureliano, ut opinor, Imp. His adscribenda est Sinuessana Synodus adversus Marcellinum Papam. Sic paullatim pervenimus ad nobiliores Synodos, quæ paullo ante Synodum Nicænam, aut statim post eam fuerunt; quas ita Oriens, Occidensque amplectitur, ut pro Jure Pontificio habeantur. Has edi græca, et latina lingua opus est. Habeo utriusque linguæ varias lectiones, et concordiam Juris nostri pontificii diligentem; habeo etiam alias editiones quorumdam capitum, et totius concilii sardicensis, quod latine editum fuisse ait Dionysius. Sic etiam Chalcedonensis, et Carthaginensis habeo multorum capitum alias editiones.

Sed et Nicænæ Synodi partem actorum græce nunquam editam, in quibus sunt aliquot cum philosophis disputationes, et constituta quædam. Notare etiam possum varias horum canonum latinas editiones; plerosque etiam canones fuisse Julius notat, numerosque addi eorum canonum. Ego pleraque sumpta esse ex codicis Theodosiani interprete inveni, ut dixi in Notis ad Adriani epistolam, de qua alibi dicam. Hæc pars græca concilii triginta

chartas occupabit, totidem postea latina intepretatio, quam nondum sumus adorti, suspicor vobis non defuturos interpretes cum edentur. Sed prius quam librum mittam, certior a vobis fieri debeo, nihil omissuros eorum, quæ misero, quin quamprimum edantur. Vereor enim ne vos tam multa græca deterreant, ut Rovillium Lugdunensem. Acta enim octo Synodorum habeo, quæ typis vestris, aut aliorum edi cupio. In his, quæ sunt post tertiam Synodum usque ad octavam Florentinam latina extant, excepta altera octava sub Joanne VIII. Tertia Synodus latine editur in Gallia, ut a me scriptum est: ego habeo græcam, quod magnum, atque præclarum volumen est. Si aliena interpretatio placebit, ea utemur; sin minus, aliam afferemus, aut quædam tantum mutabimus. Hæc de græcis. Latinas polliceor me missurum epistolas multorum Pontificum, ex uno codice pontificum Innocentii, Zosymi, Leonis, Simplicii, Gelasii, Simmachi, Hormisdæ, Joannis, Agapeti, Vigilii, aliorum undecim Pontificum; ex altero codice, Honorii, Martini, Eugenii, Agathonis, Nicolai I, Nicolai Junioris, Alexandri II. Gregorii VII. Urbani II. Paschalis II. Innocentii item II. Canones octavæ Synodi contra Photium sub Hadriano II. Anastasio Bibliothecario interprete. Canones Concilii Turonensis sub Alexandro II. Acta Lugdunensis

sub Gregorio X. Registrum Nicolai I. Romæ editum. Registrum Innocentii III Romæ item editum, in quo anni primi, et secundi litteræ continentur. Hæc omnia mille opinor occupabunt chartas.

Quod ad rem nummariam attinet, polliceor, me daturum aureos mille tribus pensibus æquis; primam pensionem mittam cum parte librorum græcorum, alteram post primum volumen editum, tertiam cum postremum volumen edi cœperit. Mitti tamen ad me volo tantam exemplarium quantitatem, quantam ea summa pecuniarum effecerit. Mittentur autem & pecuniæ, & libri ad Thomam Zornozam Hispanorum Consulem Venetiis. Eidem libri editi dabuntur a vobis, aut pars librorum, quæ dari poterit. Romam vero litteras scribam per amicos meos, vos ad Franciscum Turrianum, vel alios ex societate eadem mittite. Quæ de Garsia Toletano habuero, ad vos quam primum referam. Cura ut valeas. Ilerdæ, nonis Septembris, anno MDLXXV.

Scriptis superioribus, venit in mentem mihi ita posse editionem apte fieri, ut uno volumine, aut summum duobus conscribantur ea omnia, quæ græca sunt, aut esse debent in conciliis; idque, si placet, appelletur quintum volumen conciliorum. At sexto, vel alio volumine, comprehendantur quæcumque latina adduntur aliis voluminibus. Cum græcis autem conjungentur interpretationes præser-

tim variæ, quod maxime in canonum interpretatione accidit. Actorum interpretationem omittere possumus, si ea recte suo loco edita est.

CXII.

ANT. AUGUSTINUS ARCH. TARRAC. GERVINO CALENIO S.

Valde te amo, mi Caleni, quod me litteris tuis Idib. Martiis datis tui consilii in edendis iterum conciliis feceris certiorem. Et mihi videris aliquanto mollius accipere, quod ad Laurentium Surium scripseram, ut simul græca cum latinis ederentur. Negabat enim ille te unquam in hanc conditionem venturum, quod timeres damnum propter majores sumptus, & quod non omnibus emptoribus id commodum esset, & quod, ut scribis, timeres ne alii minori pretio venderent latina concilia, si græcis omissis cætera ab eis conscriberentur. Nunc refugis tu quidem eam conditionem, ut omnia conjungantur eisdem voluminibus, sed separatim edere non recusas. Et quod ego in extrema epistola scripseram, ut quintum volumen esset græcorun conciliorum & interpretationum, sextum vero eorum, quæ accederent latinis conciliis, non rejicis. Id vero magis esse tibi videtur aptum ven-

ditioni librorum, si multis latinis adjectis iterum eadem proponeres, græca aut omitteres, aut in diem differres. Nosti tamen querelas multorum, qui juste conqueruntur a vobis eadem cogi emere propter adjecta , quæ aptius separatim vendi possent.

Equidem si non a me longius abesses, mitterem statim tam græca, quam latina, ut quacumque ratione ederentur. Quod si etiam fieri posset, ut vel tu, vel aliquis ex tuis in Hispaniam cum typis veniret: multo libentius, & libris, & pecuniis adjuvarem. Scio Philippum Regem ante hoc bellum Lusitanum cogitasse typographos undique accersiri jubere, ut multos libros ex thesauris bibliothecæ regiæ edi curarent. Ego privato consilio hic molior aliquid edere, quod publico utile sit. Conciliorum epitomen in manibus habeo, quæ locis communibus divisa est, in eam conjeci multorum conciliorum non editos canones, & historiam conciliorum ei adjungere cogito. Tibi vero auctor essem, ut separares concilia generalia ab aliis, quæ provincialia dicuntur. Generalia in græca & latina divideres. Quatuor vero generalia græca ita ederes, ut quidquid de singulis utraque lingua scriptum reperiatur, sive in conciliis, sive in historicis, sive alibi, ederes separatim: ita plerosque emptores non magno pretio alliceres. Postea quatuor alia græca generalia concilia, aut sex potius dicenda sunt, quia octavum duplex est sub Hadria-

no, & Joanne pontificibus. Item florentinum græce nuper editum conjungi debet. His editis latina posses generalia edere, quæ multa sunt præter duo lateranensia Alexandri III & Innoc. III vulgo nota. Conjungi enim debent omnia concilia, quæ ex auctoritate Pontificis maximi, eoque præsente habita sunt, qualia sunt omnia Romana, sive Lateranensia, & illud Eugenii III Rhemense, a vobis Eugenio II adscriptum. Item alia Urbani minoris, Innocentii minoris, Alexandri III in concilio turonensi, Greg. X & Innocentii IV in Lugdunensi, & postrema generalia Constantiense, Basileense, Lateranense, & Tridentinum. Alio volumine corpus canonum græce, & latine edi posset. Initio canones Apostolorum, & Synodorum græcarum, mox quorumdam Pontificum Romanorum canones, qui in libro moguntino continentur. Adiici possent canones græcorum Antistitum Gentiano Herveto interprete.

